cet Paulus, qui in epistola ad Titum, cap. 5. ita dicit: *Cum autem benignitas & humanitas apparuit Salvatoris nostri, &c.* Colligamus autem ex his omnibus, nec potentiam esse propriam patris, nec sapientiam filii, nec benignitatem Spiritus Sancti, sed omnia quæ ad illos dicuntur, omnibus personis esse communia. Dicuntur tamen appropriata, quia etsi sunt omnibus communia, habent tamen aliqualem cum una persona convenientiam & similitudinem: ut potentia etsi omnibus personis sit communis, dicitur tamen convenire patri, quia ille est fons (ut Augustinus ait) totius deitatis, à quo reliquæ duæ personæ procedunt. Dicitur etiam filius sapientia, quia etsi Pater & Spiritus Sanctus sapientes sint, tamen filius est genitus per intellectum patris, & est notitia quædam ab illo producta: & propter hanc similitudinem illi appropriatur sapientia, quæ omnibus est communis. Ad eumdem modum solemus tribuere Spiritui Sancto bonitatem & amorem, quia Spiritus Sanctus productus est à Patre & Filio per illorum voluntatem, & est amor ab ambo us productus. Propter hanc cum illo convenientiam illi tribuitur amor, quamvis omnibus sit communis. Hujus hæresis non meminit Guido, sicut nec aliarum quas docuit Petrus Abailardus.

DIABOLUS.

DE hac re est unus Manichæorum & Priscillianistarum error, quo docent diabolum ex sua natura malum esse, nec posse esse bonum. Hæc hæresis etsi jam superius prostrata fuit quum de creatione & creaturis omnibus disputavimus, nihilominus tamen adversus hunc non pigebit particularia adferre testimonia. Christus enim de diabolis loquens, (*Joann.* 8.) ait: *In veritate non stetit, quia non est veritas in eo.* Ex quo verbo patet eum creatum fuisse in veritate, sed per suam malitiam ab illa cecidisse. Nam si in ea numquam fuisset, non dixisset, in veritate fuit. Hoc autem alibi expressius docuit, dicens: (*Luc.* 10.) *Videbam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem.* Qui ergo de cœlo cecidit, in cœlo fuisse necesse est, ubi non nisi boni existunt. Quod etiam clarius ostenditur per illud quod ait diabolum cecidisse ut fulgur: id quod ideo dictum esse constat, quia fulgur lucem in sua origine habet, quæ quum parum duret, & cito extinguatur, simul cum suo casu vertitur in tenebras. Sic etiam diabolus quum in luce gratiæ & claræ cognitionis á Deo creatus fuerit, parum in ea manens, de cœlo cecidit, & in tenebras detrusus est. Ideo ait: *Videbam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem.* Esaias etiam de eo sub nomine Regis Babylonis ait: cap. 14. *Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer, qui mane oriebaris?* Qui mane oriebaris dixit, propterea quod in principio suæ formationis aut creationis lucem habuit. Ezechiel etiam Propheta sub nomine regis Tyri de eo dixit cap. 28. *Tu signaculum similitudinis Dei, plenus sapientia & perfectus decore, in deliciis paradisi Dei fuisti.* Sequitur: *Tu Cherub extentus & protegens, & posui te in monte sancto Dei. In medio lapidum ignitorum ambulasti, perfectus in viis tuis à die conditionis tuæ, donec inventa est iniquitas in te.* Ecce quam multis verbis declarat diabolum aliquando fuisse bonum. Quod si quis dicat verba illa solum ad regem Tyri esse referenda, quomodo illi convenire potuit quod dixit, *in deliciis paradisi Dei fuisti?* Et iterum: (*Ibidem*) *Posui te in monte sancto Dei?* Hic autem mons sanctus Dei cœlum est, de quo per Prophetam dicitur: (*Psalm.* 67.) *Mons Dei, mons pinguis, mons in quo beneplacitum est Deo habitare in eo.* Et alia multa ibidem referuntur, quæ regi Tyri nequaquam convenire possunt, prout annotat beatus Hieronymus in expositione Ezechielis. Præter hæc omnia scripturæ sacræ testimonia, est etiam aperta Ecclesiæ definitio. Nam Leo Papa hujus nominis primus in epistola ad Toribium Astorigensem Episcopum, in qua errores Priscillianistarum damnat, capite sexto hæc ait: „ Sexta annotatio in„ dicat eos dicere quod diabolus numquam fuerit bonus, „ nec natura ejus opificium Dei sit, sed eum ex Chao & „ tenebris emersisse: quia scilicet nullum sui habeat auc„ torem, sed omnis mali ipse sit principium atque subs„ tantia: cum fides vera, quæ est catholica, omnium „ creaturarum sive spiritualium sive corporalium bonam „ confiteatur substantiam, & mali nullam esse naturam. „ Deus qui universitatis est conditor, nihil non bonum „ fecit. Unde & diabolus bonus esset, si in eo quod fac„ tus est permaneret. Sed quia naturali excellentia male „ usus est, & in veritate non steit, non in contrariam „ transit substantiam, sed á summo bono, cui debuit ad„ hærere, descivit: sicut ipsi qui talia asserunt, à veris „ in falsa proruunt: & naturam in eo arguunt, in quo „ sponte delinquunt, ac pro sua voluntaria perversitate „ damnantur. Quod utique in ipsis malum erit, & ip„ sum malum non erit substantia, sed pœna substantiæ.“ Hactenus Leo Papa vir quidem sanctus perinde ac doctus. Et Concilium Lateranense sub Innocentio tertio celebratum, hæc ait: Diabolus enim & alii dæmones á Deo quidem natura creati sunt boni, sed ipsi per se facti sunt mali: homo vero diaboli suggestione peccavit. Hæc Concilium. Quæ verba habentur in libro Decretalium, capite primo de summa Trinitate & fide Catholica. Demum Concilium Braccarense primum de hac re definit: quod in capite septimo suorum decretorum ita ait: Si quis dicit diabolum non prius fuisse Angelum bonum à Deo factum, nec Dei opificium fuisse naturam ejus: sed dicit eum ex tenebris emersisse, non aliquem sui habere auctorem, sed ipsum esse principium atque substantiam malam, sicut Manichæus & Priscillianus dixerunt, anathema sit. Hæc Concilium Braccarense. Quod autem Manichæi pro se adducunt illud Christi de diabolo dictum: (*Joann.* 8.) *Ille homicida est ab initio*, parum movet: quoniam illud non sic accipiendum est, ut intelligamus diabolum initio suæ creationis fuisse homicidam, quia tunc homo non erat quem occideret, ut homicida vocaretur: sed dicitur homicida ab initio conditionis humanæ, quando statim ut homo conditus est à Deo, diabolus illi mortem propinavit.

Secunda hæresis est Origenis, dicentis diabolum aliquando liberandum fore à pœna inferni. Hoc enim illi impingit Augustinus in lib. de hæresibus, capite quadragesimo tertio. Verum de hac jam superius cum de beatitudine ageremus, disputavimus. Ibi enim ostendimus & beatitudinem & pœnam inferni esse perpetuas, nec umquam finem habituras. Et præter illa quæ illic de omnibus damnatis dicta sunt, hanc hæresim peculiariter convincit illud quod apud Matthæum veritas ait, se hominibus malis in judicio dicturum: *Ite* (inquit *Matth.* 25.) *maledicti in ignem æternum, qui præparatus est diabolo, & angelis ejus.* Ex quibus satis aperte constat diabolum sicut & homines malos pœna æterna fore puniendos.

Tertia hæresis est quæ asserit diaboli suggestiones in nobis fieri per contactum lapidum, aut herbarum, prout illorum sagax malitia novit singula singulis vitiis convenire. Sed de hac nihil hoc loco dicere placuit, quoniam infra aptiorem illi captabimus locum, videlicet in titulo, Tentatio. Illo enim loco, juvante Deo, de hac re disputabimus.

FINIS QUINTI LIBRI.

F. ALFONSI DE CASTRO
ZAMOREN. MINORITÆ.
ADVERSUS HÆRESES.
LIBER SEXTUS.
ECCLESIA.

HOC nomen Ecclesia, Græca vox est *Ecclisia*, latine autem idem sonat quod cœtus, aut congregatio, & solet capi ipsa pro ipsa hominum congregatione: quæ significatio sæpissime in sacris litteris habetur. Aliquando etiam significat locum illum in quo populus congregatur, præcipue locum in quo congregatur populus ut reddat laudes Deo, qui locus proprio vocabulo dicitur templum. Sic enim invenimus in libro Judith: *Postea vero convocatus est omnis populus, & per totam noctem intra Ecclesiam oraverunt petentes auxilium à Deo Israel.* Quo loco (ut aperte constat) Ecclesiæ nomen ponitur pro ipso loco in quo congregatur populus. Verum hæc significatio rarior est in sacris litteris. Hac ergo significatione omissa, (quoniam de rebus ad illam pertinentibus, infra sub titulo Templi disserimus) primam significationem pertractemus, de qua aliquas reperio hæreses. Prima est quæ asserit intra Ecclesiam non esse bonos & malos, sed solos bonos ad illam pertinere asserit. Hujus hæresis auctor fuit Donatus quidam, á quo Donatistæ appellati sunt. Hic Donatus (ut Augustinus libro de hæresibus, capite sexagesimonono, refert) è Numidia, quæ pars Aphricæ est, exiens, totam pene Aphricam suo errore infecit. Cujus erroris initium & causa fuit, quia Cæcilianus contra voluntatem Donati fuerat ordinatus Ecclesiæ Carthaginensis Episcopus. Cui Cæciliano crimina imponens, quæ probare non potuit, á judicibus, qui optime rem noverunt, tamquam impostor Donatus judicatus est. Qui volens suam falsitatem pertinaci dissensione firmare, schisma in hæresim commutavit. Nam ab Ecclesia se divisit, dicens in sola Donati parte esse veram Ecclesiam: in aliis autem partibus, quæ Cæciliano favebant, non esse Ecclesiam, quia etsi ibi aliqui essent boni ex communione tamen malorum maculabantur, & ita Ecclesia peribat. Hinc tandem Donatus, adjunctis sibi ejusdem factionis Episcopis, Majoranum quendam apud Carthaginem ordinavit Episcopum, post quem Donatus alius successit, tantæ doctrinæ & eloquentiæ, ut ab eo multi (ut Augustinus ait) putent fuisse vocatos Donatistas. Et hic secundus Donatus est ille de quo beatus Hieronymus in libro illustrium virorum facit mentionem, quamvis dicat ab illo Donatianos esse appellatos. Nam opuscula quæ Donatum scripsisse Arriano dogmati convenientia refert Hieronymus, illa Augustinus huic secundo tribuit, à quo ait propter doctrinæ eminentiam plerosque putasse Donatianos fuisse vocatos. Et in hac parte magis crediderim Augustino quod Apher fuerit, quemadmodum Donatus; quapropter melius potuit rem agnoscere. Nec possum hic tacere quæ hoc loco Bernardus de Lutzemburgo in suo cathalogo hæreticorum de Donatistis loquens ait: Hic enim cum dixisset Donatum, primum videlicet (ut ex ejus littera facile est conjicere) fuisse temporibus Constantii Imperatoris, & Julii Papæ (& id quidem bene, Platina illi favente in vita Liberii Papæ) postea subjungit, dicens: Cyprianum Carthaginensem Episcopum scripsisse diversos tractatus & epistolas adversus hunc donatum. Quis jam ferre poterit hominem toties in eumdem lapidem offendentem? Cyprianus siquidem tempore Cornelii Papæ fuit, & eodem die quo Cornelius Romæ, quamvis non eodem anno, Cyprianus Carthagine sub Valeriano & Galieno principibus (ut Hieronymus ait) passus est. A Cornelii autem passione usque ad Julium sub quo Donatus fuit, septuaginta aut plures anni intercesserunt. Qui fit ergo, ut Cyprianus scribat adversus Donatum, septuaginta annis ipso posteriorem? Et certe (ni memoria me fallit) in omnibus Cypriani operibus nulla est mentio de aliquo Donato, præterquam in secundo libro, cujus secunda epistola est ad quemdam Donatum, in qua nec nomen hæreseos positum est, nec de hæresi ulla memoria, sed solum enarrat Donato in illa epistola qualiter fuerit ex Gentibus ad fidem Christi conversus, & mundi laqueos illi declarat: ut hac occasione cautum illum redderet. Verum hic bonus homo forte legens epistolæ solum titulum, putavit illum esse Donatum hæresiarcham, cum tamen constet esse alium hæretico vetustiorem. Ad hos Donatistas pertinent Rogatiani, à Rogato quodam dicti, de quibus mentionem facit Augustinus epistola quadragesimaoctava. Ad hos etiam pertinent Circumcelliones, de quibus alias dicemus. Hunc errorem post multas anno-

quendi quod prius pollicitus fuerat: quo casu vera esset uxor illius, ut Ecclesia sentit. Res tamen aliter se habuit, ut prius diximus. Ecclesia certo scit illam esse veram uxorem istius, in quam iste prius verum mariti animum concepit, & in hoc numquam falletur. Quod autem in hanc aut illam animum habuerit, Ecclesia non potest certò scire, & per consequens falli potest. An autem iste Joannes de Vvesalia, de hoc, an de illo errore docuerit, cum dixit Ecclesiam posse errare, mihi (ut ingenue fatear) non est certum, quoniam bonus cathalogus non expressit, neque ego apud alium inveni. Credo tamen quod de primo errore senserit, & propterea merito condemnatus fuit.

Tertia hæresis est, quæ Ecclesiæ potestatem minuit. Et hujus erroris auctores fuerunt Vvaldenses, sive pauperes de Lugduno. Quos secutus est postea Joannes Vvicleph, dicens Decretales epistolas esse apocryphas, & nullius momenti, & stultos vocat eos qui illis incumbunt. Hunc secutus est præfatus Joannes de Vvessalia, qui aperte docuit neque Apostolos neque eorum successores Prælatos Ecclesiæ habere à Christo auctoritatem condendi canones seu leges. Eumdem errorem hoc nostro sæculo docet Lutherus. Si quis tamen ad hunc errorem pertinere dicat illud quod alii docuerunt, obedientiam non esse præstandam summo Pontifici, aut aliis quibuscumque Prælatis Ecclesiæ, tunc plures habebit hic error protectores. Pseudoapostoli dixerunt ipsos non subjici alicui nisi soli Christo, quemadmodum (inquiunt) Apostoli soli Christo fuerunt subjecti. Begardorum etiam & Beguinarum hæresis fuit, quod homo in statu perfectionis existens, non tenetur alicui homini obedire. Horum ergo hæreticorum, videlicet Vvaldensium, Pseudoapostolorum, & Begardorum hæresis pestilentior est quam Joannis Vvicleph, & aliorum, quoniam illi etsi negent Ecclesiam posse condere leges & statuta ad quorum observationem omnes homines teneantur, non tamen negant in universum subditos debere obedientiam suis Prælatis. Cum ergo probaverimus Ecclesiam posse aliquid decernere & statuere cui omnes obedire teneantur, & cujus transgressio sit lethalis, actum erit de omnibus his hæreticis. Pro hac re Salomon testimonium reddit (*Prov.* 6.) dicens: *Conserva fili mi præcepta patris tui: & ne dimittas legem matris tuæ: liga ea in corde tuo jugiter, & circunda gutturi tuo.* Quod si hæc verba ad sola præcepta Dei, qui & verus & solus est pater noster, dicas esse referenda, non obsisto. Verum dic mihi, quæ est illa mater cujus legem docet non esse dimittendam? Hæc enim duo conjunxit & præta patris, & legem matris. Quibus verbis docuit præcepcepta Dei patris esse conservanda: & præcepta Ecclesiæ matris nostræ, in qua per baptisma, quod in ea recepimus, renati sumus, non esse contemnenda. Et iterum (*Prov.* 22.) *Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt patres tui.* Ecce hic patres dixit, non pater, unde constat illa verba non posse de solis præceptis divinis intelligi. Quod si dicas verba fore interpretanda de patribus veteris testamenti, quibus permissa fuit à Deo potestas in re dubia decernendi: quare idem non dicetur de prælatis legis Evangelicæ? præsertim cum divinus Psaltes dicat: (*Psal.* 44.) *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii, constitues eos principes super omnem terram.* Et ipse Deus in Deuteronomio cap. 17. ait: *Qui autem supervierit nolens obedire sacerdotis imperio qui eo tempore ministrat domino Deo tuo, ex decreto judicis morietur homo ille, & auferes malum de Israel, cunctusque populus audiens timebit, ut nullus deinceps intumescat superbia.* Quod si tantum valuit auctoritas & potestas sacerdotis legis veteris, ut ejus imperium nullus sine mortis periculo contemnere auderet, quanto major erit auctoritas sacerdotis supremi in lege nova? Certe multo major, cum majus sit sacerdotium hujus, quam sacerdotium illius. Verum huic objectioni respondentes, objiciunt nobis Paulum dicentem: (*Gal.* 5.) *Si spiritu ducimini, non estis sub lege.* Et iterum: (1. *Cor.* 7.) *Empti estis pretio magno, nolite fieri servi hominum.* Quibus verbis volunt nos esse per Christum liberatos à lege Mosaica, quapropter ajunt non oportere amplius hominibus nos subjici. Sed hæc non ita se habent, quoniam etsi Christus nos liberavit á servitute peccati, & á servitute legis Mosaicæ, hoc est à jugo cæremoniarum & legitimorum, non tamen sustulit obedientiam prælatorum: immo stricтius præcepit. Per illa autem verba Paulus non avertit subditos ab obedientia prælatorum, quam alias apertissime commendasse ostendemus, sed ab illa avertit servitute, qua quisque illius se esse fatebatur, à quo baptizatus erat quidam dicens, *Ego sum Pauli: alius, ego sum Apollo: atque alius, ego sum Cephæ.* (2. *Cor.* 3.) Christus enim solus pro nobis passus est, atque ideo totos non ipsos illi soli debemus. Sed dimisso testamento veteri, in quo multa adhuc exempla nobis subfragantur, accedamus ad novum, in quo veritas clarius lucet. Christus enim secreto peccantem, postquam semel correptus audire noluerit, ad Ecclesiæ judicium deferri præcipit: (*Matth.* 18.) & si eam non audierit, jubet reputari tamquam Ethnicum & publicanum, hoc est, ut per excommunicationem segregetur à cæterorum consortio, ut vel sic erubescens resipiscat. Excommunicatio autem non nisi pro crimine lethali, eoque gravi & cui est adjuncta pertinacia, infligitur. Constat ergo grave crimen esse Ecclesiæ inobedientiam, quæ tam gravi pœna punitur. Verum quia aliqui istorum hæreticorum (ut Lutherus) excommunicationes irrident, ideo aliud proferamus testimonium. Discipulis suis Christus loquens, (*Luc.* 10.) & in eis omnibus prælatis illorum successoribus, ait: *Qui vos audit, me audit. Qui vos spernit, me spernit. Qui autem me spernit, spernit & eum qui misit me.* Ex quibus verbis colligimus obedientiam, quæ propter Deum hominibus præstatur, non esse humanam servitutem (ut Lutherus mentitur) sed esse Dei servitutem: quoniam ait: *Qui vos audit, me audit.* Colligitur etiam inobedientiam Ecclesiæ pro inobientia Dei reputari apud ipsum Deum. Et Paulus in prima ad Thessalon. epistola cap. 4. ait: *Scitis quæ præcepta dederim vobis per dominum Jesum.* Et paucis interjectis subdit: *Itaque qui hæc spernit, non hominem spernit, sed Deum, qui etiam dedit spiritum suum sanctum in nobis.* Hoc etiam Moses clarissime docuit, cum populo Israel murmuranti adversus eum & Aaron fratrem ejus, dixit: (*Exod.* 11.) *Dabit vobis dominus vespere carnes edere, & mane panes in saturitate, eo quod audierit murmurationes vestras quibus murmurati estis contra eum. Nos enim quid sumus? Nec contra nos est murmur vestrum, sed contra dominum.* Ex quibus duobus locis scripturæ proxime citatis aperte convincitur præcepta justa præpositorum non esse dumtaxat humana dicenda, cum vim suam & robur habeant à præcepto divino, præsertim cum illorum contemptores tamquam contemptores divinorum præceptorum coram Deo reputentur. Præterea ipsa veritas iterum apud Matt. c. 23. ait: *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi: quæcumque dixerint vobis, facite: secundum vero opera eorum, nolite facere.* Vides hic obedientiam nobis injunctam, & non solum aliquorum, sed omnium præceptum. Quæcumque (inquit) dixerint vobis, facite. Quid est autem dicere, quæcumque? Numquid facturi sumus scelera, si nobis præcipiantur? Absit. Per illa enim verba solum præcipitur nobis obedientia earum rerum quæ ad cathedram pertinent, hoc est earum rerum quæ ad faciliorem observantiam mandatorum Dei conducunt, & viam aperiunt. De aliis autem præceptis quæ ab hac observatione præceptorum Dei homines avertunt, dixit alibi ipsa veritas: (*Matth.* 15.) *Quare transgredimini præcepta Dei propter traditiones hominum?* Et infra. *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est à me. Sine causa autem colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum.* Quibus verbis Christus reprehendit eas hominum traditiones quæ legi divinæ adversantur, & non (ut Lutherus somniat) omnes leges humanas. Rursum, Paulus in epistola ad Romanos cap. 13. ait: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non est enim potestas nisi à Deo. Quæ autem sunt, à Deo ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, sibi damnationem acquirunt.* Et ad Titum scribens cap. 3. ait: *Admone illos principibus & potestatibus subditos esse, dicto obedire, ad omne opus bonum paratos esse.* Et in epistola ad Hebræos cap. 4. *Obedite præpositis vestris, & subjacete eis. Ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri.* Et quod de prælatis Ecclesiasticis loquatur, convincitur per id quod in eodem capite ante præmiserat. *Mementote præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei.* Suam insuper auctoritatem circa inobedientes declarat Paulus, cum in priore epistola ad Corinthios cap. 4. ait: *Quid vultis? in virga veniam ad vos, an in charitate, & spiritu mansuetudinis?* Et in secunda epistola cap. 13. iterum: *Ideo enim hæc absens scribo, ut non præsens diutius agam secundum potestatem quam dominus dedit mihi in ædificationem, & non in destructionem.* Et in secunda ad Thessalonicenses cap. 3. *Quod si quis non obedierit verbo nostro per epistolam, hunc notate, & non commisceamini cum illo, ut confundatur.* Non est autem minor potestas in Ecclesiæ prælatis nunc, quam tunc fuit: erit ergo obediendum prælatis Ecclesiæ in his quæ ad observationem legis divinæ conducibilia esse noscuntur. Quid ergo impii Vvaldenses, Pseudoapostoli, & Begardi, & Vvieclephitæ, & Hussitæ oblatrant, & Ecclesiæ obedientiam contemnunt, cum tot scripturæ testimoniis sit confirmata? Verum Lutherus in hac parte eo truculentior bestia quo cautior, admittit Ecclesiæ obedientiam, sed negat eam dilatari posse ultra ea quæ expresse in sacris litteris habentur. Quod si ad hunc modum oporteret fabulam ludere, periret omnis cultus, & tota Christianæ reipublicæ religiosa politia destrueretur, immo ipsa Christiana religio tota laberetur, cum fides, quæ fundamentum est illius, eo ipso prorsus everteretur. Diei dominicæ festiva solemnitas non reperitur injuncta in sacris litteris, tamen Ecclesia præcipit diem dominicam observari. Neque hoc centenarium aut trecentenarium est inventum (prout Lutherus & ei adhærentes objicere solent) sed ab ipsis nascentis Ecclesiæ cunabulis prodiit, & hucusque à Christianis religiose observatum est. Divorum imagines esse venerandas scriptura numquam præcipit, & tamen septima Synodus quæ in Nicæa fuit congregata, decrevit ab omnibus Christianis digna veneratione suscipi. Scripturæ sacræ numquam jusserunt ut stantes & erecti audiamus Evangelium cum publice legitur, aut quod levemus manus cum corpus domini levatur à sacerdote, aut quod tundamus pectora, aut quod flectamus genua ante altare dum oramus, hæ inquam atque aliæ hujusmodi piæ cæremoniæ non sunt expressæ in sacris litteris, earum tamen aliquas Ecclesia statuit, alias perpetua consuetudine observavit hucusque. Quæ omnes si sustollantur, quia scriptæ non sunt in sacro instrumento, statim infra paucissimos dies ea, quam vocamus devotionem, vel (ut melius dicam) sacrorum affectus periret. Nam is cultus qui adhuc in Christianorum pectoribus viget, quamvis minimus sit, his tamen cæremoniis fovetur & nutritur. Et nisi ad has compellerentur Christiani, citissime aut nullus aut frigidissimus cultus Dei futurus esset. Verum & si hæc ita se habent minima tamen sunt ad ea quæ mox subjiciemus. Perpetuam siquidem virginitatem Mariæ numquam sacræ litteræ aperte expresserunt, non audeat ergo aliquis Mariam Christi matrem, virginem jam appellare, eo quod sacræ litteræ illud non produnt. Numquam sacræ litteræ eamdem sacratissimam virginem nomine matris Dei appellaverunt, sed solum matrem Christi, aut matrem Jesu eam nominant: male ergo Concilium Ephesinum contra Nestorium censuit eam theotocon, hoc est, matrem Dei vere & merito esse nominandam. Si ad Lutheri gnomonem, quæ nobis præscribit, essent omnia examinanda, nec dicemus patrem ingenitum esse, nec filium asseremus consubstantialem patri, quoniam nullum istorum in sacris litteris expresse reperitur, sed ex quadam ratiocinatione infallibili Ecclesia collegit, declarans ea quæ erant obscura, & eruens ea quæ erant abscondita. Quod si hoc in causa fidei statuere licuit, cur non etiam licebit eos more statuere, qui ad observationem mandatorum Dei maxime conducunt? Nam de cæteris fatemur prælatos Ecclesiæ nihil posse statuere, quoniam (ut inquit Paulus 1. *Cor.* 10.) *data est illis potestas in ædificationem, non in destructionem.* Deus siquidem præcepit nobis ut illum coleremus, nec tamen expressit quando: Ecclesia autem potestate sibi à Deo tradita utens, expressit, ut die dominico præcipue missam audientes Deo coleremus. Præcepit etiam Deus jejunium, nec id uno aut altero tantum loco dixit, sed fere innumeris, numquam tamen expressit diem jejunii: quapropter ne tale jejunium perpetuo fine ejusdem observatione pereriret, eo quod nulla certa esset signata dies, Ecclesia expressit dies quibus jejunandum est. Præcepta ergo Ecclesiæ expressiva & declarativa sunt mandatorum Dei, & quæ viam parant ad observationem præceptorum divinorum. Et ita Ecclesia illa sua præcepta statuens, non aliud statuit quam Deus (ut Lutherus illi impingit) sed eadem statuit quæ Deus, cum illa quæ decernit, tendunt ad clariorem intellectum & faciliorem observationem mandatorum Dei. Cum enim Paulus nonnulla statuisset quæ in scripturis antea non erant expressa, statim subjunxit: (1. *Cor.* 14.) *Si quis videtur Propheta esse aut spiritualis, cognoscat quæ scribo vobis, quia domini sunt mandata.* Præterea idem Apostolus (1. *Cor.* 11.) decernit virum fidelem debere permanere cum uxori infideli, & fidelem uxorem cum viro infideli, si alter conjugum infidelis nullum incommodum inferat fidei alterius, & velit cum altero fideli permanere: & si discesserit nolens cum fideli habitare, discedat fideli manente libero ad susceptionem alterius. Et tamen cum hæc statuit aut decernit Paulus, fatetur numquam dominum hoc dixisse. Nam hoc daturus decretum præmisit, dicens: *Dico ego, non dominus.* Rursum, idem Apostolus (1. *Cor.* 11.) præcepit mulierem velato capite orare, viros autem capite nudato, quod tamen nulla ante scriptura expresserat. Quia tamen spiritu pro-

norum centurias suscitavit ab inferis Joannes Husſ: cui in eodem errore succesit Joannes de Rockesana, qui Concilio Basilien. astans (ut Æneas Sylvius in libro de origine Bohemorum refert) Concilio obedire nolens recessit. Hunc eumdem errorem ultimus omnium defendit Lutherus. Contra hunc errorem est illud Prophetæ: (*Psal.* 54.) *Et si is qui oderat me super me magna locutus fuisset, abscondissem me forsitan ab eo: tu vero homo unanimis, dux meus, & notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos, in domo Dei ambulavimus cum consensu.* Vides hic malum simul cum bono in domo Dei. Domus autem Dei, Ecclesia est, quemadmodum Apostolus Paulus testatur, dicens: (1. *Tim.* 3.) *Hæc tibi scribo, sperans me venire ad te cito. Si autem tardavero, ut scias quomodo oporteat in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi.* Præterea Paulus Apostolus docet omnes fideles ad Ecclesiam Dei pertinere, qui in exordio prioris epistolæ ad Corinthios, sic ait: *Paulus vocatus Apostolus Jesu Christi: per voluntatem Dei, & Sostenes frater Ecclesiæ Dei quæ est Corinthi, sanctificatis in Christo Jesu, vocatis sanctis, cum omnibus qui invocant nomen domini nostri Jesu Christi in omni loco ipsorum, & nostro, &c.* Ex quibus verbis illud est annotandum, quod dixit, Ecclesiæ Dei, non autem dicit hujus, aut illius hominis, ut hæretici faciunt, qui Ecclesiam Dei toto orbe terrarum diffusam, ad parvum ipsorum numerum coarctant, sed Ecclesiam Dei appellavit. Sanctificatos eos dicit in Christo Jesu, quia per baptismum fuerant in Christo regenerati. Et tamen hos ipsos quos appellavit Ecclesiam Dei, & sanctificatos in Christo Jesu propter baptismum susceptum, in multis postmodum redarguit. Contentiones inter illos esse asserit (*Ibidem* 3.) quibusdam dicentibus: *Ego sum Pauli: aliis, ego sum Cephæ. Cum enim* (inquit) *sit inter vos zelus & contentio, nonne carnales estis, & secundum hominem ambulatis?* Et postmodum de fornicatione quosdam eorum reprehendit. Hos ergo quos de multis peccatis reprehendit, Ecclesiam Dei appellavit, quia sanctificati erant in Christo Jesu per baptismum. Et in secunda epistola ad Corinthios cap. 1. iterum illis scribens, vocat eos Ecclesiam Dei, cum tamen eos postmodum arguat, & minetur illis nisi fecerint pœnitentiam. Rursum, Ecclesia est unum corpus, juxta Paulum (2. *Cor.* 13.) cujus corporis caput est Christus. Hujus autem corporis membra sunt omnes fideles, é quibus qui justi sunt, membra sunt viva & sana: qui autem peccatores, membra sunt mortua & putrida, in fine resecanda? Hoc autem ex ipsius Christi verbis patet, qui ait: (*Joann.* 15.) *Ego sum vitis, vos palmites.* Et parum ante: *Omnem palmitem in me non ferentem fructum tollet eum.* Adverte quod non dixit, Palmitem non ferentem fructum esse jam sublatum, sed esse tollendum. Ex quo convincitur fideles adhuc per veram fidem Christo coherere, qui ab eo tolerantur usque ad mortem, in qua si cum nullo fructu reperiuntur, resecantur omnino tamquam membrum putridum. Deinde ipsamet veritas plurimis parabolis docuit, in Ecclesiæ gremio contineri omnes fideles: *Simile*, (inquit) *est regnum cœlorum sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti: quam, cum impleta esset, educentes, ac secus litus sedentes, elegerunt bonos in vasa, malos autem foras miserunt. Sic erit in consummatione sæculi. Exibunt Angeli, & separabunt malos de medio justorum, & mittent eos in caminum ignis.* Ecce vides hic regnum cœlorum comparatum esse non multitudini bonorum piscium, sed sagenæ, quæ bonos & malos continet. At regnum cœlorum, de quo hic loquitur, cum constet non esse patriam cœlestem, quæ est Ecclesia triumphans, sequitur quod sit Ecclesia militans, quæ aliquando est in cœlis regnatura: (*Matth.* 22.) In illis etiam nuptiis, quibus comparatum est regnum cœlorum, nonne inventus est unus non habens vestem nuptialem? (*Ibidem* 25.) *Talem autem defectum constat fuisse magnum scelus, quoniam propter illud ligatis manibus & pedibus jubetur mitti in tenebras exteriores, ubi erit fletus, & stridor dentium.* Ex decem virginibus quibus regnum cœlorum iterum comparatum est, quinque erant fatuæ, quæ acceptis lampadibus, non sumpserunt oleum secum: & ideo tamquam fatuæ repulsæ sunt. Rursum, beatus Paulus in posteriore epist. ad Timotheum cap. 2. ait: *In magna autem domo non solum sunt vasa aurea, & argentea, sed & lignea, & fictilia, & quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam.* In contumeliam videlicet ea quæ sunt fictilia. Magnam autem domum Apostolus appellat Ecclesiam, quæ domus Dei est, in qua aurea vasa & argentea sunt justi, fictilia autem sunt peccatores. Accedit ad hæc, quod si Ecclesia ex solis prædestinatis (ut Joannes Husſ ait) coalesceret, & illi, juxta eumdem, damnati non possunt, nec membra diaboli esse, Ecclesia ista non esset militans dicenda, sed triumphans: quoniam sicut à Deo prædestinati sunt, ita apud Deum, cui omnia sunt præsentia triumphatores reputantur. Satis enim triumphat, qui prædestinatus est. Nec minus Lutherum convincit, id quod Dominus Salvator noster circa fratrem in nos peccantem facere jussit: (*Matth.* 18.) *Si peccaverit* (inquit ille) *in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipsum solum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum. Quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ. Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.* Ecce vides peccantem in nos fratrem, ad Ecclesiam pertinere, membrumque aliquod illius esse. Nam alioqui non præciperetur ut peccatum illius denuntiaretur Ecclesiæ, ab illa corrigendum: neque Ecclesia illum aut corripere aut quomodolibet punire posset. Quia si non est membrum Ecclesiæ, neque ad illam pertinet, nullam in illo Ecclesia habebit potestatem. Dicetur namque illi id quod Paulus ait: (*Rom.* 2.) *Quis tu es qui judicas servum alienum?* Oportet igitur fateri, juxta istorum hæreticorum sententiam, ut quisquis mortaliter peccaverit, sit eoipso extra Ecclesiæ potestatem & jurisdictionem constitutus. Hoc autem concedere quam sit absurdum, & à vera fide alienum, nemo est vir doctus qui hoc aperte non videat. Accedit ad hæc, quod si ex solis justis (ut hæretici docent) constat Ecclesia Catholica, oportet necessario fateri Ecclesiam esse invisibilem, utpote in solo spiritu, qui videri non potest, consistentem. Nemo enim potest agnoscere omnes qui vere sunt justi, & qui sunt peccatores. Nam in his judicandis atque discernendis sæpe homines falluntur, justos pro injustis, & injustos pro justis judicantes. Causa hujus deceptionis est, quia homines non intuentur cor, in quo bonitas aut malitia residet, sed ea sola vident quæ foris parent. Si Ecclesiam invisibilem esse concedunt, quomodo fratrem in nos peccantem & audire nolentem, denuntiabimus Ecclesiæ? Quomodo in rebus dubiis Ecclesiam consulemus, si illam non videmus? Qualiter Ecclesiæ monitis aut præceptis obtemperabimus, si quæ sit Ecclesia, agnoscere non possumus? oportet certe Ecclesiam visibilem esse, ut illam adire, consulere, venerari, & illius præceptis obedire possimus. Sed de hac re abunde supra libro primo dis-

disputabimus. Quo loco multis sacræ scripturæ testimoniis, multisque urgentissimis rationibus ostendimus Ecclesiam militantem visibilem esse, omnibusque conspicuam, ideo non est opus nunc aliquid inde repetere. Denique in arca Noe, quæ typum gessit hujus Ecclesiæ inferioris, quoniam in mari hujus sæculi ambulans, quamvis jactata multis fluctibus, numquam tamen submergetur: in illa, inquam, animalia immunda simul reperiuntur cum mundis. In ista ergo Ecclesia inferiori, quæ hic militat, omnes reperiuntur: soli infideles extra illam sunt: omnes qui fidem orthodoxam firmiter tenent, in illa continentur. Quod si qui inter eos peccatores sunt, Ecclesia eos tolerat, usque ad litus maris, hoc est usque ad finem sæculi, & tunc fiet separatio per ministerium Angelorum, qui bonos pisces, id est, bonos homines reponent in vasa sua, id est, in loca illis à Deo præparata: malos autem mittent in caminum ignis, ubi erit fletus, & stridor dentium. Qua separatione facta, accipiet eam vir suus Christus gloriosam *non habentem maculam aut rugam*, (*Ephes.* 5.) aut aliquid hujusmodi, sed sanctam & immaculatam. Ante hanc etiam separationem opere complendam, nos mente & sola cogitatione malos á bonis separantes, vocamus nunc Ecclesiam immaculatam, columbam sine felle, talem videlicet eam nunc considerantes, qualis postmodum est futura: non quod per hoc bonos à malis separamus, quoniam talis separatio in littore maris, hoc est in fine sæculi facienda est. Nam illud quod dicit Apostolus: *Ecclesiam videlicet esse sine macula & sine ruga*, beatus Hieronymus dicit in futuro sæculo esse complendum. „ Is enim exponens tricesimumprimum caput „ Hieremiæ in fine capituli sic ait: Vidi quanta habeat „ loca Ecclesia, & quomodo illud Apostolicum, ut sit „ sine macula & ruga, in futuro & in cœlestibus serve- „ tur. Audis Angelos, audis scabiem, audis ruinas & „ cineres, & regionem mortis & tenebrarum, & de tua „ virtute & impeccantia gloriaris? „ Hæc Hieronymus: Quod vero Donatistæ & Rogatistæ dicunt bonos ex communione malorum inquinari, & ob hoc dicebant malos non pertinere ad Ecclesiam, neq; esse in eam recipiendos, ne ex eorum communione boni inficerentur: hoc apertissime convincitur per illud dictum Christi, quod Apostolis suis ait: (*Joann.* 13.) *Vos mundi estis, sed non omnes. Sciebat enim quisnam esset qui traderet eum; propterea dixit, non estis mundi omnes.* Vides hic Judam mixtum cum Apostolis, & tamen ejus malitia nihil eis nocuit, quia cum ille dicatur immundus, alios tamen Christus dixit esse mundos. Quod autem Judas communionem sacramenti cum aliis acceperit, infra cum de Eucharistia agemus, Deo duce, probabimus. Propterea, dominus per Ezechielem Prophetam cap. 7. ait: *Et erunt in montibus quasi columbæ convallium & omnes trepidi, unusquisque in iniquitate sua.* Sua dixit, non alterius. Et Paulus de præmio tam bonis quam malis reddendo loquens, ait: (2. *Cor.* 5.) *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis prout gessit, sive bonum sive malum.* Propria dixit, non autem aliena. Et alibi: (*Galat.* 6.) *Unusquisque onus suum portabit.* Suum dixit. Et iterum de indigne sumentibus corpus domini ait: *Quicumque manducaverit panem hunc, & biberit calicem domini indigne, judicium sibi manducat & bibit.* Sibi, inquam, dixit, non aliis. Et Joannes in Apocalypsi cap. 20. *Judicati sunt mortui ex his quæ scripta sunt in libris, secundum opera eorum.* Secundum opera eorum dixit, non secundum opera aliorum. Præter hæc omnia tam clara scripturæ testimonia extat adversus primam erroris partem Ecclesiæ universalis definitio. Nam inter articulos Joannis Husſ in Constantiensi Concilio sessione quintadecima condemnatos, plures sunt ad hanc rem pertinentes. Tertius enim articulus sic ait: Præsciti non sunt patres Ecclesiæ, cum nulla pars ejus ab ea finaliter excidat, eo quod prædestinationis charitas qua ipsa ligatur, non excidit. Articulus quintus sic dicit: Præscitus etsi aliquando sit in gratia secundum præsentem justitiam, tamen numquam est pars Sanctæ Ecclesiæ. Et vicesimusquartus articulus ejusdem est iste: Gratia prædestinationis est vinculum quo corpus Ecclesiæ, & quodlibet ejus membrum jungitur ipsi capiti insolubiliter. Qui articuli simul cum aliis ejusdem Joannis Husſ una super omnes lata sententia in Concilio Constantiensi condemnati sunt. Contra hunc errorem, præter Augustinum, non agnosco alium scriptorem. Is enim plures de hac re ædidit tractatus. Unus ad Vincentium Donatistam, & est in numero epistolarum suarum, epistola quadragesimaoctava. Alter contra Fulgentium Donatistam, & in hoc magis disputat contra illam secundam partem erroris quo Donatistæ docent bonos maculari ex communione malorum. Alius tractatus ejusdem, & & hic præcipuus est contra epistolam Petiliani, in quo acriter pugnat pro unitate Ecclesiæ toto orbe diffusæ. De istis duobus erroribus Donatistarum Guido non facit ullam mentionem, quamvis de Donatistis differit: Et miror, cum Augustinus illos tribuat Donatistis, quem Guido semper sequitur.

Secundus error est, qui docet Ecclesiam errare posse. Hunc errorem docuit (ut cathalogus hæreticorum ait) quidam Joannes Vvessalia tempore Frederici Imperatoris hujus nominis tertii, qui propter hunc errorem & alios Moguntiæ damnatus fuit, & ejus libri combusti. Hic ergo Joannes inter alios errores hunc unum docuit, Ecclesiam videlicet errare posse, & aliquando errasse, nec tantam esse Ecclesiæ in definiendo certitudinem, ut errare non possit. Si de errore earum rerum quæ fidem & bonos mores respiciunt, hic loquitur, constat ejus doctrinam esse hæreticam, quam supra jam expugnavimus, cum de Conciliorum auctoritate disseruimus. Si autem loquatur de errore earum rerum, quæ nec fidem nec mores spectant, doctrina illius non est hæretica, quoniam certum est in talibus Ecclesiam posse errare. Nullum est enim periculum, etiam si omnes quotquot sunt, sentirent, pertinacíterque assererent Carolum Cæsarem hujus nominis quintum Hispaniarum Regem ejusdem nominis primum, numquam in Italiam venisse, quamvis certo sciamus eum in plurimis Italiæ oppidis fuisse, & Bononiæ, quæ Italiæ civitas est, à Clemente Papa hujus nominis septimo imperii coronam suscepisse. Cum tamen hæc res minimum ad salutem pertineat animarum, nullum esset inde salutis dispendium etiam si universalis Ecclesia de hac re falleretur. Nam omnes catholici viri fatentur Ecclesiam posse falli in his maxime quæ non respiciunt jus, sed quæ solam rem gestam concernunt: vel (ut verbis magis vulgatis utar) potest Ecclesia errare in his quæ sunt facti, quemadmodum contingit cum aliquis per verba futuri temporis contrahit cum aliqua muliere, quam postmodum carnaliter agnovit sine ullo maritali affectu: quo facto, cum alia postea contrahit per verba præsentis temporis, vero (ut decet) maritali animo: in tali eventu Ecclesia judicat istum esse alligatum priori fœminæ, & decernit eum esse liberum & solutum à secunda, quia Ecclesia credit pie illum coisse cum priore fœmina animo adimplendi & exe-

prophetico vidit aliquos futuros qui prælatorum statuta damnarent, postquam præceptum illud dedit, subdidit: *Si quis autem videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei.* Deinde cum contentio exorta esset an in lege Evangelica obligarentur homines ad observationem legitimorum in veteri lege præceptorum, devoluta est causa ad Apostolos & seniores, qui erant in Hierusalem, qui habito maturo (ut decebat) consilio, & re prius anxie examinata, talem protulere sententiam: (*Act.* 15.) *Visum est Spiritui Sancto, & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quam hæc necessaria, ut abstineatis vos ab immolatis simulachrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione: à quibus custodientes vos, bene agetis.* Hæc quatuor quæ Apostoli decreverunt esse necessaria, certum est non esse nobis in lege Evangelica á Deo injuncta, imo nec jam sunt necessaria omnia illa. Verum Apostoli metuentes ne hac occasione Judæorum & Gentilium communio impediretur, ne etiam hac occasione aliqui ex Judæis averterentur à susceptione legis Evangelicæ, inhibuerunt illa quatuor pro illo tempore, ut facilius Ecclesia ex Gentibus & Judæis coalesceret. Ecce Apostoli statuerunt quæ nec in scriptura reperiebantur expresse, nec à Deo umquam audiverant. Quid ergo? Detrudemus Ecclesiam in tales angustias, aut concludemus eam intra tam strictos limites, ut dicamus eam nunc minoris esse potestatis ad aliud statuendum quod non exprimatur in sacris litteris, quam tunc fuit? Si dicant Ecclesiam nunc non habere tantam potestatem quantam tunc, ostendant expresse per sacras litteras clarissime (ut á nobis exigunt) dicentes Ecclesiæ potestatem esse nunc minorem, & Deum minuisse potestatem quam semel Ecclesiæ dederat: & si id ostenderint, merito cedam. Cum autem id ostendere non possint, cur volunt Ecclesiæ statuta intra limites scripturæ sacræ concludere, quæ olim talibus limitibus non sepiebantur? Potuissem hic plura sacrorum virorum testimonia adferre, sed vitandæ prolixitatis causa, omitto, tum etiam, quia hi contra quos nunc agimus, videlicet Vvicleph & Lutherus floccipendunt sanctorum quorumcumque virorum dicta. Sed præter hæc omnia tam clara testimonia, hæc hæreticorum assertio est jam in pluribus Conciliis damnata. Nam inter octo errores Begardorum & Beguinarum, qui in Concilio Viennensi sub Clemente quinto celebrato damnati sunt, tertius in ordine est quo ajunt illos qui sunt in statu perfectionis, & spiritu libertatis, non esse humanæ subjectos obedientiæ. Hujus autem Concilii decretum habetur in lib. Clementinarum constitutionum, titulo De hæreticis, cap. Ad nostrum. Et Concilium Constantiense condemnans in sessione octava plures articulos Joannis Vvicleph, hunc inter alios locavit, sub his verbis: Decretales epistolæ sunt apocryphæ, & seducunt à Christi fide, & clerici sunt stulti qui student eis. Quia articulus simul cum aliis una super omnes lata sententia damnatus est. Et in sessione quintadecima iterum condemnat idem Concilium plures assertiones Joannis Huss, inter quas hæc invenitur sub his verbis: Obedientia Ecclesiastica est obedientia secundum adinventionem sacerdotum Ecclesiæ, præter expressam auctoritatem scripturæ. Dicamus ergo juxta catholicam fidem, Ecclesiæ statuta non esse contemnenda, sed stricte observanda. An autem quæcumque transgressio illorum sit mortalis, non differo: quoniam video quosdam, & non ex infima theologorum scholasticorum forte, qui asserunt transgredientes præcepta Ecclesiæ, modo id non omittant ex contemptu, sed ex infirmitate quadam, aut forte negligentia, non peccare mortaliter: alios autem scio docere oppositum. Cum autem ego in hoc opere solam fidem pertractare statuerim: de opinionibus hominum varie sententium disputare nolo. Contra hanc hæresim scripsit Joannes Rossensis Episcopus in eo opere quod contra captivitatem Babylonicam Lutheri ædidit, articulo 27. Scripsit etiam Jodocus Cliththovæus multo diffusius in suo Antiluthero, parte prima.

Quarta hæresis est quæ docet Ecclesiam ipsam, hoc est Ecclesiasticos viros, non posse ullas divitias possidere, nec agros, nec possessiones ullas, quia (ut dicunt) Apostoli, quibus primores Ecclesiæ successerunt, pauperes fuere, nihil pœnitus possidentes. Hujus hæresis primi inventores (ut refert Augustinus lib. de hæresibus, cap. 50.) fuerunt Vadiani sive Anthropomorphitæ: qui hac occasione ab Ecclesia separaverunt seipsos, quia dicebant non licere Episcopis divitias possidere, quos tamen divites esse videbant. Post istos multo tempore elapso surrexerunt Vvaldenses, sive pauperes de Lugduno, qui (ut illis impingit Æneas Sylvius lib. de origine Bohemorum cap. 35.) dixerunt sacerdotes pauperes esse debere, & sola contentos esse eleemosyna. Hujus tamen erroris non meminit Guido cum hæreses Vvaldensium recenset. Eumdem errorem docuit Marsilius Paduanus, vir quidem Ecclesiæ toti & Ecclesiasticis omnibus odiose infensus. Vixit hic Marsilius sub Joanne Papa hujus nominis xxii. & ab eodem damnatus est. Vvaldenses imitatus est hoc loco, quemadmodum alibi semper Joannes Vvicleph. Postremus omnium Lutherus hoc nostro sæculo eumdem tutatur errorem, persuadens principibus ut bona Ecclesiæ diripiant, quod & in multis Germaniæ superioris oppidis factum esse audivimus. Hujus hæresis fundamentum superius evertimus, cum de Apostolorum paupertate disseruimus. Ibi enim docuimus ex sacra scriptura Apostolos aliquid possedisse. Similiter supra in titulo De decimis, ostendimus decimas ex jure divino deberi sacerdotibus: é quibus decimis primam portionem capere potest sacerdos, & reservare pro sibi necessariis, victu scilicet & vestitu. Sed præter hæc omnia sunt adhuc alia specialia scripturæ testimonia. Sacerdotes enim legis veteris habuerunt possessiones & agros. Nam postquam populus Israel adeptus est terram promissionis. (*Josue* 21.) Levitica tribus unde sacerdotes sumemantur, ex præcepto domini accepit ab illis tribubus quadragintaocto urbes cum suis suburbanis. Decimas etiam omnium terræ nascentium, & omnium pecudum recipiebant Levitæ. Cur hoc non licebit sacerdotibus novæ legis, præcipue cum non reperiatur hoc esse à Christo illis interdictum, quemadmodum supra docuimus cum de Apostolorum paupertate disputavimus? Præterea Paulus Apostolus ad Timotheum scribens qualem oporteat Episcopum esse, inter cætera exigit ab eo hospitalitatem. At hospitalitas exerceri nequit ab eo qui facultates non habet, quas ministrare possit iis quos hospitio receperit. Dicit etiam ibidem Paulus oportere Episcopum bene regere domum suam, quoniam (inquit) *is qui domui suæ præesse nescit, quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam habebit?* Ad bonum autem domus præpositum spectat ut provideat uxori & filiis quos habet, de victu & vestitu, & de illis rebus sine quibus hæc misera vita conservari nequit. Hæc autem nullus sine facultatibus commode exequi potest. Rursum, Pius Papa & martyr in epistola Italicis directa, sic ait: „ Ad Sedem Apostolicam perlatum est

„ quod

„ quod sint inter vos contentiones & æmulationes, & „ prædia divinis usibus tradita quidam humanis applicant usibus, & Domino Deo cui tradita sunt, ea subtrahunt, ut suis usibus inserviant. Quapropter ab omnibus illius usurpationis contumelia depellenda est, ne „ prædia usibus secretorum cœlestium dicata à quibusdam irruentibus vexentur: quod si quisquam præsumserit, velut sacrilegus habeatur, & sicut sacrilegus judicetur. " Hæc Pius Papa: quem non possunt incusare quod malus fuerit, cum martyrio vitam finierit. Nec ut trecentenarium (quemadmodum facere solet Lutherus) possunt eum rejicere, quoniam decimus à Petro summus Pontifex fuit. Quid ergo impius Lutherus suadere audet principibus, ut Ecclesias diripiant atque spolient? Nonne videt à Papa Sanctissimo velut sacrilegos esse judicatos qui hoc faciunt? Huic Papæ Sanctissimo alius ejusdem farinæ homo subscribit, videlicet Urbanus Papa & martyr, qui de hac re tale ædidit decretum: „ videntes ergo „ sacerdotes summi, & alii, atque Levitæ, & reliqui fideles plus utilitatis posse adferre si hæreditates & agros, „ quos ante vendebant, Ecclesiis quibus præsidebant „ Episcopi traderent, eo quod ex sumptibus eorum tam „ præsentibus quam futuris temporibus plurima & elegantiora possent ministrare fidelibus communem vitam „ ducentibus, quam ex prætio eorum, cæperunt prædia „ & agros quos vendere solebant matricibus Ecclesiis tradere, & ex sumptibus eorum vivere. Ipsæ vero res in „ ditione singulorum parochiarum Episcoporum, qui locum tenent Apostolorum, erant & sunt usque adhuc, „ & futuris semper debent esse temporibus. E quibus „ Episcopi & fideles dispensatores eorum, omnibus communem vitam diligere volentibus ministrare cuncta necessaria debent, prout melius potuerint, ut nemo in eis „ egens inveniatur. Hæc Urbanus Papa & martyr. Post Urbanum confirmavit eamdem sententiam Lucius Papa & martyr, qui in epistola ad Episcopos Galliarum & Hispaniarum damnat rapientes bona Ecclesiarum. Plura alia sacrorum virorum testimonia pro hac re potuissem adferre, quæ brevitatis causa omitto. Si quis tamen curiosus lector ea videre desiderat, legat librum Decretorum. 12. causa, quæst. 1. & in sequentibus quæstionibus, videlicet. 2. 3. 4. 5. in quibus locis multa hujus rei testimonia Gratianus reposuit. Accedit ad hæc, quod multi ex summis Pontificibus relati sunt inter sanctos etiam ab eo tempore quo Ecclesia possedit divitias. Et multorum Conciliorum decreta sunt de bonis Ecclesiæ non alienandis, de œconomis Ecclesiæ. Et Concilium Chalcedonense, quod unum est ex illis quatuor quæ beatus Gregorius fatetur se recipere velut sancta quatuor Evangelia, cap. 22. districtius inhibet clericis ne post mortem Episcopi rapiant res ad eum pertinentes. Unde patet, Concilii auctoritate esse permissam rerum propietatem Episcopis. Postremo ex pluribus assertionibus Joannis Vvicleph in Concilio Constantiensi sessione octava damnatis, aliquæ sunt quæ ad hanc rem pertinent. Decimus enim articulus sic ait: Contra scripturam sacram est quod viri Ecclesiastici habeant possessiones. Tricesimusecundus dicit: Ditare clerum est contra regulam Christi. Et in sequenti assertione ait: Sylvester Papa & Constantinus Imperator erraverunt Ecclesiam ditando. Et in sequenti assertione ait: Sylvester Papa cum omnibus clericis suis possessionem habentibus sunt hæretici, eo quod possessionem habent, & omnes consencientes eis, scilicet domini sæculares, & cæteri laici. Hi omnes articuli simul condemnati sunt in illa sessione octava Concilii Constantiensis. Verum hic attendant domini Ecclesiastici, quod quamvis illis liceat divitias possidere, non tamen licet eas avare custodire, aut indebite expendere. De hac re scripsit Jodocus Cliththovæus in opere quod ediddit pro declaratione veritatum definitarum in Concilio Senonensi.

ELEEMOSYNA.

De hac re est unus error docens non licere eleemosynas tribuere fratribus mendicantibus. Hujus erroris dux fuit Joannes Vvicleph, qui asseruit eum omnem esse ipso facto excommunicatum, qui eleemosynas fratribus contulerit. Ad cujus assertionem duplici movetur ratione. Una, quia ille omnem monachorum ordinem damnat, & monachos vitam privatam degentes asserit non esse de religione Christiana. Et sanctos viros qui diversos monachorum ordines instituerunt, peccasse in hoc dicit, & nisi de hoc eos pœnituerit, contendit eos esse damnatos. Altera ratio qua movetur est, quia omnem mendicitatem dicit esse fratribus illicitam, quoniam (ut ait) fratres per labores manuum debent victum acquirere, & non per mendicitatem. Itaque iste Vvicleph ut unum protegat errorem, alium adfert aut pestilentiorem, aut æqualem, dignum quidem patella operculum. Monachatum, quem ille in universum damnat, non est præsentis negotii nunc defendere: Infra, Deo duce, longiorem suo loco faciemus disputationem. Quod autem laborem manuum à monachis exigit unde vivere debeant, non damno in universum, nec etiam generaliter probo. Ego quidem etsi monachus sum, cum Euchitis aut Messalianis non sentio, qui dicebant monachis omnem manuum laborem esse illicitum. Vellem enim quosdam manibus laborare, nec tamen omnes. Sed de hac re alibi disseremus sub hac inscriptione aut titulo, Labor. Mendicitatem, Deo adjutore, probabimus suo loco, cum de illa sub ejus nomine disseremus, non solum esse licitam, verumetiam meritoriam. Sublatis igitur fundamentis quibus hæc impia Vvicleph assertio innititur, necessarium est ut ipsa corruat. Nam si monachatus licitus est, & monachis mendicare licet, aliis etiam licebit illis eleemosynam impendere. Hæc etiam assertio Vvicleph una est ex illis. 45. quæ in octava sessione Concilii Constantiensis damnatæ sunt. Articulus enim ejus vicesimus ibidem damnatus, sic ait: Conferens eleemosynam fratribus, est excommunicatus eo facto. Quæ assertio simul cum quadraginta quatuor ejusdem Vvicleph, ibidem damnata est. Cum ergo Ecclesia huic liti finem imposuerit, non est quod nos de hac re amplius contendere debeamus.

De hac re nullum alium errorem reperi apud aliquem eorum qui de hæresibus scripserunt, aut hæreses recensuerunt. Verum B. Aug. lib. 22. de civ. Dei c. 22. dicit se comperisse quosdam putantes eleemosynam tantæ esse virtutis, ut qui eam exercuerit, quantumlibet criminose & nefarie vivat, æternum tamen supplicium non sit habiturus: sed illis dumtaxat dicebant perpetuum supplicium esse destinatum, qui eleemosynas non fecerunt, aut facere contempserunt. Hujus hæresis cum Augustinus nullum prodiderit auctorem, ego illam hic omittere decreveram: sed quia forte in posterum (ut quotidie simile nostris demeritis exigentibus experimur) aliquis exurget qui illam defendere conetur, mutavi sententiam, & illam huic operi intexui, sola narratione contentus. Ad ejus siquidem confutationem apertissimum & efficacissimum est illud Pau-

li (1. *Cor.* 13.) *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Si quis autem amplius de hac re videre optat, legat beatum Augustinum libro 21. de civitate Dei, cap. 27. quo loco redarguit hunc errorem, quem supra 22. capite ejusdem libri narraverat.

EPISCOPUS.

De hac re est unus error quo docetur Episcopum non esse simplici sacerdote superiorem. Hujus erroris auctor fuit Aerius quidam, quamvis Philaster de illo loquens, numquam hoc illi tribuit. Augustinus tamen in lib. de hæresibus cap. 53. de illo loquens, ait: dolens quia Episcopus ordinari non potuit in Arrianorum hæresim lapsus est, & alia plura addidit dogmata, quorum unum fuit hoc, presbyterum videlicet ab Episcopo nulla differentia debere discerni. Hunc eumdem errorem post multos annos ab inferis suscitarunt Vvaldenses, dicentes nullum esse inter sacerdotes discrimen. His postea subscripsit Marsilius Paduanus. Vvaldenses (ut alias diximus) semper secutus est Joannes Vvicleph, & omnes eorum errores tutatus est: quapropter ut sui similis esset, hunc etiam docere tentavit: quem errorem ex eodem fonte deduxit, ex quo Aerius. Nam Thomas Vvalden. in suo doctrinali fidei antiquæ, tomo 1. lib. 2. art. 3. cap. 60. quo loco hanc rem ille pertractat, dicit Joannem Vvicleph ambisse Episcopatum Vigoriensem, quem tamen non fuit assecutus, & ideo contemnere cœpit, quod prius anxie desideraverat. Hæc enim sæpissime evenire experientia didicimus, ut qui non potest consequi quod maxime optat, ad contemptum illius rei & vilipendium confugiat, ut vel hoc remedio, suo impotenti desiderio medeatur, & aliis persuadeat se parum optasse quod assecutus non fuit. Sic etiam quia Aerius & Vvicleph Episcopatum assequi non potuerunt, illius dignitatem & eminentiæ gradum se contemnere simularunt. Joanni Vvicleph consentit Lutherus, qui in libello contra falsa nomina statuum Ecclesiæ, hæc ait: Episcopi sunt indoctæ larvæ papales, quæ non solum ad veritatem opprimendam creatæ sunt, sicut & creator ipsorum: ideo deleri debet Episcoporum regimen, & devastari Episcopatus. Et in lib. de captivitate Babylonica iterum ait: Omnes quotquot baptizati sumus, æqualiter sacerdotes sumus, & quilibet laicus potest Ecclesias consecrare, pueros confirmare &c. Hæc Lutherus. In quibus verbis non solum sacerdotes, sed etiam laicos dicit esse pares Episcopis. Ante tamen quam hanc hæresim oppugnare aggrediar, lectorem admonere decrevi, ne videlicet existimet me sic his hæreticis in hac parte contradicere, ut sentiam Episcopatum esse alium ordinem à sacerdotio. Quod ideo præmonui, quia sunt aliqui sentientes Episcopatum differre à sacerdotio, quemadmodum sacerdotium à diaconatu, ita videlicet ut alius character imprimatur in Episcopi ordinatione, ab illo qui impressus fuerat cum fuit ordinatus sacerdos. Alii rursum docent, nec alium imprimi characterem, nec alium esse ordinem Episcopi & sacerdotis, sed dicunt esse ejusdem ordinis diversos gradus, ita ut intra eumdem ordinem duo sint gradus, unus altero ex sua primæva institutione superior. De qua re non est meum in præsentiarum definire: quoniam (ut alias sæpe statui) non hic hominum varie sentientium opiniones pertracto, sed solam catholicam fidem. Ideo hanc rem aliis discutiendam relinquo. Mei ergo propositi est, solum ostendere, inter Episcopum & sacerdotem esse aliquod discrimen, non quod à Cæsare (ut Joannes Vvicleph murmurat) emanaverit, sed quod ab ipso Christo & ejus Apostolis processerit, ita ut Episcopus ab ipsa divina institutione sit alio simplice sacerdote dignitate superior. Hoc autem sic convincimus. Oportet enim umbram similem esse corpori, & figuram veritati. Omnia autem quæ in veteri testamento præcesserunt, figuræ quædam fuerunt eorum quæ in lege nova futura erant, Paulo testante (1. *Cor.* 10.) qui ait: *Omnia in figura contingebant illis.* At in lege veteri distinctio fuit sacerdotum. Nam Aaron summus fuit sacerdos, filii autem ejus minores sacerdotes: (*Exod.* 19.) Summus sacerdos distincta habebat ornamenta à minoribus. Summus sacerdos intrabat in sancta sanctorum, quod aliis sacerdotibus non erat licitum, ut patet ex libro Levitici 19. & ex epistola Pauli ad Hebræos cap. 6. Ad solum summum sacerdotem pertinebat celebrare festum expiationis, ut patet ex eisdem locis. Cum ergo tam latum præcesserit in lege veteri inter sacerdotes discrimen, conjicimus inde, ut diversum etiam in lege nova sacerdotium fuerit à Christo institutum. Hoc etiam nostrum argumentum confirmatur auctoritate Leonis Papæ, qui in epistola 66. quæ est ad universos Germaniæ atque Galliæ Ecclesiarum Episcopos, sic ait: „ In divinis enim litteris „ præcipiente Deo solus Moyses in tabernaculo Dei erexit „ altare, solus ipse unxit, qui utique summus Dei sacer- „ dos erat, sicut scriptum est de eo: (*Psalm.* 98.) *Moy- „ ses & Aaron in sacerdotibus ejus.* Ideoque id quod tan- „ tum facere principibus sacerdotum jussum est, quorum „ typum Moyses & Aaron tenuerunt, omnino decretum „ est, ut Episcopi vel presbyteri, qui filiorum Aaron ges- „ tant figuram, arripere non præsumant." Hæc Leo Papa. Præterea Paulus ad Titum scribens, cap. 1. ait: *Hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea quæ desunt corrigas, & constituas per civitates presbyteros, sicut ego tibi disposui.* Hoc loco beatus Paulus nomine presbyterorum intellexit Episcopos, quoniam (ut Theophylactus admonet, & ante illum Chrysostomus) nolebat Paulus universam insulam videlicet Cretam uni Episcopo demandari, potissimum cum adeo magna fuisse dicatur, ut centum oppida munita habuerit. Ideo Tito scribit ut unicuique urbi proprium præficiat presbyterum, hoc est Episcopum, credens hoc modo populum melius fore curandum. Præter hoc etiam ipsa litteræ series hoc convincit. Nam cum præcepisset presbyterorum ordinationem, subjungens postea qualis debeat esse is qui ordinatus est, tunc jam expressit Episcopi nomen, quo argumento convincitur eumdem appellare Episcopum, quem prius appellaverat presbyterum. Hoc jam semel in posterum dictum sit. Episcopus ergo (ut ad scopum convertamur) presbyteros ordinat: simplex autem sacerdos hoc non potest, quemadmodum infra cum de sacerdotibus agemus, Deo favente ostendemus. Non est ergo prorsus idem Episcopus & presbyter. Rursum, si ex divina ordinatione idem est omnino presbyter & Episcopus, sequitur inde, ut quemadmodum Episcopus presbyteros ordinat, ita è converso presbyter possit ordinare Episcopos: quod numquam factum esse legimus: quoniam etsi Paulus dicat Timotheo scribens 1. 4. *Noli negligere gratiam quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterii.* Chrysostomus tamen & Theophylactus & reliqui exponunt de Episcopo, hoc adjiciens Chrysostomus, quod presbyteri Episcopum non inthronizabant. Deinde Episcopi sunt successores Apostolorum, & eorum locum tenent, alii autem clerici in locum 70. discipulorum subrogati sunt. At nullus dubitat, quod & ipse Vvicleph concessit, ut testatur Thomas Vvalden. Apostolos videlicet singulari quadam prærogativa fuisse superiores merito & dignitate cæteris discipulis. Quod autem Apostolorum successores sint Episcopi, reliquorum vero discipulorum alii sacerdotes, hoc Vvicleph negat, sed dicit sacerdotes omnes succedere Apostolis, & Diaconos reliquis discipulis. Quare ipse inde concludit omnes sacerdotes esse pares. Ut ergo suo telo configamus eum, hoc totis viribus est annitendum, ut ostendamus omnium testimonio, Episcopos solos esse Apostolorum successores, sacerdotes vero & reliquos clericos esse successores discipulorum. Addidi de reliquis clericis, quia video aliquos putantes solos sacerdotes subrogatos esse in locum discipulorum, quod non ita se habere convincitur ex eo quod Philippus Diaconus è numero discipulorum fuit, & Stephanus, & alii Diaconi. (*Act.* 6.) Omissis igitur his recentioribus, quibus non tanta fides debetur, primus omnium testimonium pro nobis dicat Beda, qui lib. 3. super Lucam cap. 15. sic ait: „ Sicut duodecim Apostolos for- „ mam Episcoporum exhibere simul & demonstrare nemo „ est qui dubitet, sic & hos. 70. figuram presbyterorum, „ id est secundi ordinis sacerdotum gessisse, sciendum est: „ tametsi primis Ecclesiæ temporibus, ut apostolica scrip- „ tura testis est, utrique presbyteri, utrique vocabantur „ Episcopi, quorum unum scientiæ maturitatem, aliud „ industriam curiæ pastoralis significat." Hæc Beda. Eamdem sententiam profert Isidorus in quodam sermone in Synodo habito, ita dicens: „ Presbyteri quippe „ successores & vicarii sunt. 70. discipulorum, qui præ- „ cedebant Dominum Jesum Christum in omnem civita- „ tem, & locum quo erat ipse venturus. Ita presbyteri, „ quia adjutores sunt Episcoporum, rudes populos ini- „ tiant, baptizandos unitati Ecclesiæ incorporant, in om- „ nibus sacramentis usque ad manus impositionem popu- „ lo Dei ministrant. Episcopi vero successores sunt Apos- „ tolorum." Hæc Isidorus & beatus Damasus in epistola de Coepiscopis, quos solum sacerdotes esse decernit, postquam dixerat eos non posse confirmationis sacramentum ministrare, ita dicit: „ Quod autem solis Apostolis eo- „ rumque successoribus proprii sit officii tradere Spiritum „ Sanctum, liber Actuum Apostolorum docet, præser- „ tim cum nullus ex 70. discipulis, quorum isti in Ec- „ clesia speciem gerunt, legatur donum Sancti Spiritus „ per manuum impositionem (ut prædictum est) tradi- „ disse." Hæc Damasus. Vides jam tres illustres viros pro nobis dedisse testimonium, qui omnes fatentur Episcopos successores esse Apostolorum, presbyteros vero locum tenere discipulorum. Sed quo res firmior reddatur, plures adhuc pro hac re testes adhibeamus. Urbanus Papa & martyr in epistola de communi vita & oblatione fidelium, loquens de rebus Ecclesiæ assignatis, à quibus dispensari debeant, sic ait: „ Ipse vero res in ditione singulorum „ Parochiarum Episcoporum, qui locum tenent Aposto- „ lorum, erant, & sunt usque adhuc, & futuris semper „ debent esse temporibus." Hæc Urbanus Papa. Quibus verbis satis aperte dixit Episcopos successores esse Apostolorum, nulla presbyterorum habita mentione. Anacletus Papa & martyr, qui quartus à beato Petro Apostolo Ecclesiæ Catholicæ præsedit, in epistola de Patriarchis & Primatibus ac reliquis Episcopis, ita ait: „ Sacerdotum „ fratres, ordo bipartitus est, & sicut dominus illum constituit, á nullo debet perturbari. Scitis autem à domino Apostolos esse electos & constitutos, & postea per diversas provincias ad prædicandum dispersos. Cum vero messis cœpisset crescere, videns paucos esse operarios, ad eorum adjumentum. 70. elegi præcepit discipulos. Episcopi vero, Apostolorum, presbyteri quoque. 70. discipulorum locum tenent." Hæc Anacletus Papa & martyr. In quibus verbis id advertendum maxime est, quod ait dominum instituisse bipartitum sacerdotum ordinem. Huic Anacleto soli magis credidetim quam mille Vvicleph itis, imo imagis quam Hieronymo aut Augustino, aut cuivis alii recentiori quantumlibet sancto & docto. Nam præter vitæ sanctitatem, quam martyrium maxime commendat, beatos Apostolos vidit, & (ut ipse in principio epistolæ quodammodo citavimus testatur) à beato Petro Apostolo fuit presbyter ordinatus. Unde credendum est illum veram Apostolorum mentem penetrasse, & illorum spiritum tenuisse. Et ut aliquid ultra addamus, beatus Augustinus lib. de hæresibus cap. 53. Aerii errores enumerans, hunc inter illos recenset, quod videlicet presbyteros pares Episcopis fecerit. Præter hæc omnia tot illustrium virorum testimonia, illud maxime hoc nostrum propositum roborat, quod superius cum de confirmatione ageremus docuimus. Ibi enim ostendimus confirmationis sacramentum non posse conferri ab aliquo tantum sacerdote, sed á solo Episcopo, & hoc ex divina institutione, & non ex Ecclesiæ ordinatione. Si ergo ex confirmatione ministrat Episcopus, & illam non potest alius presbyter ministrare, convincitur inde ut non sit idem presbyter & Episcopus. Sed his omnibus objicit nobis Joannes Vvicleph beatum Hieronymum qui super epistola ad Titum, exponens illum locum: *Hujus rei gratia reliqui te Cretæ, &c.* ita ait: „ Idem ergo est presby- „ ter, qui Episcopus: & antequam diaboli instinctu stu- „ dia in religione fierent, & diceretur in populis: Ego „ sum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephæ, com- „ muni presbyterorum Concilio Ecclesiæ gubernaban- „ tur. Postquam vero unusquisque eos quos bapti- „ zaverat, suos putabat esse, non Christi, in toto „ orbe decretum est, ut unus de presbyteris electus su- „ perponeretur cæteris, ad quem omnis Ecclesiæ cura „ pertineret, & schismatum semina tollerentur." Hæc Hieronymus. Cui objectioni respondet Thomas Vvalden. loco illo superius citato, verum esse quod Episcopi sint presbyteri. Nam hoc sentit Hieronym. Quod autem inter Episcopum & presbyterum non sit aliqua distinctio, hoc non expressit. Sed re vera fallitur Thomas Vvalden. quoniam in toto illo decursu post verba proxime citata nihil aliud conatur Hieronym. quam ut ostendat ex divina institutione non esse differentiam inter Episcopum & presbyterum, sed tale discrimen fuisse postea inventum ad schismata tollenda. Et interpretatur Hieronymus dictum de superpositione Episcoporum cæteris presbyteris ab Ecclesia inventa, debere intelligi de sola præsidentia in Concilio, ita videlicet quod toti communi Concilio sacerdotum præsit unus Episcopus in edendis canonibus, hoc non tam ex institutione divina quam ex humana consuetudine arbitratur evenire. Et de hac præsidentia dicit dictum Hieron. debere intelligi. Utrum autem hæc expositio verum sensum Hieron. & veram ejus mentem exprimat, ego nolo nunc discutere, sed lectori relinquo, qui locum illum Hieron. attente (ut decet) legens, facile comprehendet satis alienam esse à mente Hieron. illam expositionem. Sed ut clarius pateat qualis fuerit Hieronymi de

de hac re sententia, videamus quid in dialogo Orthodoxi & Luciferiani dicant. Ibi enim circa medium dialogi, sub persona Orthodoxi de confirmationis sacramento differens, ita loquitur: Quod si hoc loco quæris quare in Ecclesia baptizatus, nisi per manus Episcopi non accipiat Spiritum Sanctum, quem nos asserimus in vero baptismate tribui, disce hanc observationem ex ea auctoritate descendere, quod post ascensum Domini Spiritus Sanctus ad Apostolos descendit. Et multis in locis idem factitatum reperimus, ad honorem potius sacerdotii, quam ad legis necessitatem. Alioqui si ad Episcopi tantum imprecationem Spiritus Sanctus defluit, lugendi sunt qui in vinculis, aut in castellis, aut in remotioribus locis per presbyteros & diaconos baptizati, ante dormierunt, quam ab Episcopis inviserentur. Hæc ibi Hieron. Ex quibus verbis clare patet illum sentire, non esse ex necessitate legis quod Episcopus solus per manus impositionem Spiritum Sanctum conferat, sed hoc esse ex Ecclesiæ institutione ad honorem sacerdotii. Ideo aliter Hieron. testimonio respondere oportet. Sed antequam respondeam, percontari expedit Joannem Vviclephum, quare Hieronymi testimonio contra nos nunc pugnet, cum alibi & Hieron. & omnes alios sacros Doctores tam facile rejiciat & vilipendat? Aut ergo illum cum pro nobis citatur, recipiat, aut nullo pacto illum nobis objiciat. Deinde cur nobis objicit unum solum Hieronymum contra tot illustres viros sanctitate perinde ac doctrina insignes? Numquid unius Hieron. dictum præferre vult sententiæ tot clarissimorum virorum? Parum dixi: numquid forte tori Ecclesiæ Catholicæ, aut Concilio illam repræsentanti, solum Hieron. præponet? Concilium siquidem Ispalense secundum (ut supra cum de confirmatione ageremus, ostendimus) definit à solis Episcopis posse confirmationem conferri, & (ut postea ostendemus) idem Concilium censet presbyterum nullo modo posse alium in presbyterum aut diaconum ordinare. Quod si ordinare attentaverit, ejus ordinationem decernit esse nullam, & esse necessario iterandam ab Episcopo, ut sic ordinatus possit aliquid exercere. At si ex institutione divina illud posset presbyter ministrare, quamvis peccaret contra Ecclesiæ decretum faciens, nihilominus ejus ordinatio esset valida, quemadmodum dici solet de clerico excommunicato conficiente Eucharistiam, qui quamvis peccet sacramentum consecrans, nihilominus tamen rata & firma est ejus consecratio. Cum ergo tam expressa sit Concilii definitio, quis contra eam opponere audebit solius Hieronym. sententiam? Ego certe doctrinam beati Hieron. summe extollo, ejus sanctitatem maxime veneror, sic tamen, ut putem eum hominem fuisse, qui cum hic ageret, falli potuit: sic etiam ut ejus sententiæ plurimorum Catholicorum Doctorum & Pontificum, quales fuere Damasus, Urbanus, Anacletus, decreta illi præferam. Nec mirum debet hoc esse alicui. Nam præter hoc quod illi Pontifices sancti fuerunt ut Hieron. & eorum aliqui martyrio clari, & omnes doctrina insignes ipsemet Hieron. illorum decretis, libentissime suam subjicit sententiam, ut patet ex aliquot ejus epistolis ad Damasum Papam. Nec etiam mirari quisquam debet, quod beatus Hieron. vir alioqui doctissimus sic deceptus fuerit, quoniam quandoque bonus dormitat Homerus. Quod maxime evenire potuit tunc, quando adhuc doctrina illa non fuerat in quæstionem deducta, nec tunc Ecclesia aliquid de ea definierat: quapropter potuit sine ullo fidei dispendio ita sentire, maxime cum habuerit aliquot scripturæ testimonia, quæ pro illo sententiam dicere videbantur: quæ oportet ut sigillatim discutiamus. Primo ergo quod narrat, ad tollendum schisma quo unusquisque eos quos baptizabat, suos putabat esse, non Christi, decretum fuisse ut unus de presbyteris electus, superponeretur cæteris, ad quem omnis Ecclesiæ cura pertineret: quo pacto Hieron. hoc probet, ego nescio, immo oppositum ex Actibus Apostolorum conjici potest, præcipue quia remedium illud quod beatus Hieron. dicit fuisse adhibitum, non erat sufficiens ut schisma tolleretur: quoniam etsi illo modo schisma intra unam urbem exortum tollebatur, non tamen schisma inter plures urbes. Per illud siquidem remedium non tollitur quin omnes unius urbis dicantur Pauliani, á Paulo illius civitatis Episcopo: alii Petriani, á Petro alterius civitatis Episcopo. Quo facto quis non videt adhuc schismatum semina manere, cum dicatur adhuc, *ego sum Pauli, ego sum Cephæ*? Non erat autem præcise curandum ut hoc aut illo modo schisma non fieret, sed ut nullo. Ideo ut ex apostolica historia conjici potest, aliud remedium efficacius illi schismati adhibitum est, ut videlicet omnes Christo initiati, communi vocabulo Christiani appellarentur, á Christo, qui caput est omnium, qui etiam (ut Joannes Baptista testatur *Joan.* 1.) est qui vere nos baptizat. Ad cujus rei confirmationem, beati Athanasii proferam testimonium. Is enim disputans contra Arrium rejicientem hanc vocem, *Omousion*, propter illius novitatem, ostendensque propter novitates hæreticorum infurgentium, Ecclesiam consuevisse nova confingere nomina, ita ait: „ Et ut quod „ dico, planius fiat, utor exemplo: In ipso Christianæ „ religionis prædicationis initio omnes qui credebant do„ mino nostro Jesu Christo, non Christiani, sed discipu„ li tantummodo nominabantur. Et quia multi novorum „ dogmatum obviantes apostolicæ, omnes sectatores suos „ discipulos nominabant, nec erat ulla nominis discretio „ inter veros falsosque discipulos, sive qui Dositæ, sive „ Theodæ, sive Judæ cujusdam, sive etiam Joannis secta„ tores, qui se quasi Christos Ecclesiæ fatebantur, quin „ potius uno discipulorum nomine censerentur. Tunc „ Apostoli convenientes Antiochiam sicut eorum (Luca „ narrante) testantur acta: omnes discipulos novo nomi„ ne, id est Christianos, appellant, discernentes á com„ muni falsorum discipulorum vocabulo, ut & divini per „ Esaiam oraculi sermo impleretur, quo ait: *Servienti„ bus vero mihi vocabitur nomen novum.* " Hucusque Athanasius. Rabanus super Actus Apostolorum cap. 11. exponens locum illum ubi de impositione Christiani nominis dicitur, sic ait: „ Omnes sectæ nomen trahebant „ de suo auctore ideo fundata fide, & firmitatem obti„ nente, primum in Antiochia, ubi præ cæteris locis fi„ des florebat, sumptum est à Christo nomen Christia„ num. " Hæc Rabanus. E certe hoc remedio verius obviatum est schismati, quam constituendo (ut Hieron. ait) unum ex presbyteris, qui cæteris superpositus, omnem Ecclesiæ curam haberet. Sed jam reliqua quæ pro se beatus Hieron. adfert, videamus. Apostoli ad Philip. verba sunt ista: *Paulus & Timothæus servi Jesu Christi, omnibus sanctis in Christo Jesu, qui sunt Philippi, cum Episcopis & diaconibus, gratia vobis & pax, & reliqua.* Philippi una est urbs Macedoniæ, & certe in una civitate plures, ut nuncupantur, Episcopi esse non poterant, sed quia eosdem Episcopos illo tempore quos presbyteros appellabant, propterea (inquit) de Episcopis quasi de presbyteris est locutus. Deinde in Actibus Apostolorum cap. 20. scrip-

scriptum est, quod cum venisset Apostolus Miletum, misisset Ephesum, & vocaverit presbyteros Ecclesiæ ejusdem, quibus postea inter cætera sit locutus: *Attendite vobis & omni gregi in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam domini quam acquisivit per sanguinem suum.* Quo loco diligentius observare admonet Hieron. quomodo unius civitatis Ephesi presbyteros vocans, postea eosdem Episcopos dixerit. Alia etiam pro se citat, quæ quia debiliora sunt, & minus efficacia, omitto. Illud ergo primum non constat an sit ita intelligendum qualiter Hieron. interpretatur, quoniam nomine Episcoporum Ambrosius ibi intelligit Paulum & Thimotheum. Sic enim ait: „ Cum Episcopis & diaconibus, hoc est cum „ Paulo & Timotheo, qui utique Episcopi erant, simul „ & significavit & diaconos qui ministrabant eis. Ad ple„ bem enim scribit. Nam si Episcopis scriberet & diaco„ nibus, ad personas eorum scriberet, & loci ipsius Epis„ copo scribendum erat, non duobus vel tribus, sicut ad „ Titum & Timot. " Hæc Ambro. Ex cujus verbis satis patet quam diversum à Hieron. sentiat. Sed quoniam aliud testimonium ex Actibus Apostolicis apertius est quam ut possit eludi, ideo aliter & verius respondendum videtur nomina illa, videlicet presbyter & Episcopus, ex sua primæva institutione latiorem habuisse significationem quam modo habeant. Episcopus enim dictio græca est, & composita ab Epi præpositione græca, quæ idem significat quod latine super: scopos vero idem est quod intentio: & ita Episcopus tantum valet ac superintendens, inde Episcopin superintendere. Episcopi ergo nomen indesumptum videtur, quod is qui præficitur aliis, eorum curæ superintendere debet. Juxta quam nudam interpretationem nulli dubium quin presbyteri parochi Episcopi dici debeant, nam ipsi etiam superintendunt curæ animarum sibi commissarum. Presbyter etiam est vox græca, presbyteros latine interpretatur senior. Presbyter ergo ætatis est nomen, quæ non juxta numerum annorum computanda venit, sed juxta sensus maturitatem: quemadmodum Sapiens ait: (*Sap.* 4.) *Senectus venerabilis est non diuturna, neque annorum numero computata. Cani autem sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata.* Unde Anacletus Papa in epistola de ordinatione Episcoporum sic ait: „ Porro Moysi præcipitur ut eligat pres„ byteros, unde & in Proverbiis cap. 20. dicitur: *Gloria „ senum canities.* Hæc vero canities sapientiam designat, „ de qua scriptum est: Canities hominum prudentia est. „ Cumque nongentos & amplius annos ab Adam usque „ ad Abraham vixisse homines legerimus, nullus alius „ primus appellatus est presbyter, id est, senior, nisi „ Abraham, qui multo paucioribus vixisse annis con„ vincitur, non ergo propter decrepitam senectutem, „ sed propter sapientiam presbyteri nominantur. " Hæc Anacletus. Si ergo propter sapientiam, qua insignitus esse debet, presbyter nominatur, apparet vocem ex sua institutione plus etiam significare quam nunc significet: nam juxta illam omnes sapientes presbyteri dici possent, cum tamen multi sint qui modo presbyteri non dicantur. Quod si contendas nomen presbyteri ab annorum numero esse alicui tribuendum, oportebit concedere ut omnes senes vere possint dici presbyteri: quod tamen nunc non ita fiet. Nomen ergo presbyteri ex quacumque derivatione sumatur, commune est Episcopis & cæteris sacerdotibus. Episcopi nomen etiam commune est ex sua prima institutione omnibus sacerdotibus præcipue illis quibus animarum cura commissa est. Ecclesia ergo timens ne propter vocabulorum indistinctam significationem quis opinaretur, res etiam esse prorsus indiscretas, vocabulorum significationes contraxit hoc modo, ut ille solus nominaretur Episcopus, qui aliis sacerdotibus superior existens, totius civitatis curam haberet: ille autem diceretur presbyter, qui corpus domini conficere aut consecrare posset. Itaque Ecclesia hoc statuens, non constituit novum ordinem, aut ejusdem ordinis novum gradum decrevit, sed gradus sacerdotii antiquos, & á Deo institutos, censuit propriis nominibus nuncupari, ne forte ex communione aut identitate vocabulorum occasio oriretur existimandi res etiam ipsas per illa nomina designatas esse prorsus easdem. Hoc autem Ecclesiam posse nullus merito dubitare poterit: quoniam si Ecclesia propter novas causas emergentes potuit rebus antiquis nova imponere nomina, quid prohibet, ut novis etiam insurgentibus causis, potuerit antiqua vocabula ad contractiorem significationem restringere? Quod si aliquis Hieronymo plus justo deditus, adhuc Hieronymi sententiam tenere voluerit, talibus angustiis opprimetur, ut oporteat eum etiam dicere diaconos esse Episcopos. Nam Paulus Timotheo, qui Episcopus erat, scribens, (2. *Tit.* 4.) diaconum eum nominat, dicens: *Ministerium tuum imple.* Quo loco græce habetur diaconiam, hoc est diaconatum: ubi aperte pro officio Episcopi diaconatum dixit. Et non immerito, quoniam vox diaconatus (ut de aliis diximus) juxta suam primam significationem ministerium significat. Episcopus autem cum etiam sit minister sicut Christus de seipso dixit, ideo non immerito Episcopo scribens, dixit: Ministerium tuum, vel diaconatum tuum imple. Ecclesia hanc diaconi vocem ad solum ministrum qui in certo gradu in altari ministrat, contraxit. Ne autem ista ex nostro cerebro conficta esse videantur, hujus rei duos testes adfero. Theophilactus super primum caput epistolæ ad Philip. declarans illud cum Episcopis, & diaconis, sic ait: „ Epis„ copos sacerdotes dicit. Neque enim plures præter unum „ erant Episcopi, qui singulis civitatibus præsiderent: „ quippe cum nondum essent hujusmodi nomina dispar„ tita, sed Episcopi tantum diaconi & presbyteri dice„ bantur. " Hæc Theophilactus. In quibus maxime advertere oportet quod ait, cum nondum essent hujusmodi nomina dispartita: ubi aperte ostendit esse factam partitionem non rerum, sed vocabulorum. Eamdem sententiam innuit beatus Augustinus in quadam epistola ad beatum Hieronymum, quæ est in ordine epistolarum Augustini. 19. Sic enim inquit: „ Quamquam enim secun„ dum honorum vocabula, quæ jam Ecclesiæ usus ob„ tinuit, episcopatus presbyterio major sit, tamen in „ multis rebus Augustinus Hieronymo minor est. " Hæc Augustinus. In quibus verbis id maxime observare oportet quod dixit, secundum honorum vocabula quæ jam Ecclesiæ usus obtinuit: non autem dixit, secundum gradus honoris quos Ecclesiæ usus obtinuit. Ubi aperte innuit fuisse ex Ecclesiæ usu illorum vocabulorum distinctiones. His ergo ita digestis, respondemus Hieronymo, verum esse quod tunc temporis presbyteri etiam dicerentur Episcopi, quia tunc non erat facta vocabulorum distinctio: nec tamen ex eo sequitur quod idem prorsus fuisset qui Episcopus. Verum dicet aliquis, si tunc vocabulorum significationes erant indiscretæ, quo pacto valebimus ex sacris litteris illarum rerum distinctionem agnoscere? Cui quæstioni respondemus, per ratiocinationem. Scimus enim ex sacris litteris, solos Apostolos, quibus Episcopi succedunt, tribuisse Spiritum Sanc-

tum per manus impositionem : quod alii discipuli, quorum locum alii minores sacerdotes tenent, numquam A
præstiterunt. Scimus Apostolos, & Episcopos eorum successores, alios ordinasse in sacerdotes, de aliis autem discipulis hoc numquam legitur. Inde convincimus, Episcopos majoris semper fuisse potestatis, quam alii sacerdotes. Hoc autem quod de ordinatione dixi, quod solus Episcopus potest ordinare, ipsemet Hieronymus fatetur. Nam in epistola ad Evagrium sic ait : „ Quid enim facit, „ excepta ordinatione, Episcopus, quod presbyter non „ facit ? Hæc ille. Et in fine epistolæ iterum ait : Et ut „ sciamus traditiones apostolicas sumptas de veteri testa- „ mento : quod Aaron, & filii ejus, atque Levitæ in „ Templo fuerunt, hoc sibi Episcopi, & presbyteri, & „ diaconi vendicent in Ecclesia. " Hæc Hieron. Ex qui- B
bus verbis patet beatum Hieronymum sibi ipsi in hac parte minime constare : quoniam si hoc est in Ecclesia Episcopus, quod in lege veteri Aaron, & hoc presbyter, quod filii Aaron, convincitur etiam inde ut ex ipsa institutione divina Episcopus sit quovis alio presbytero major : quoniam (ut jam proxime docuimus) Aaronis sacerdotium ex ipsius Dei institutione majus erat quam sacerdotium filiorum Aaron. Hanc rem prolixe satis & ultra statutam brevitatem pertractavi, quoniam neminem de illa scripsisse reperi præter unum Thomam Vvalden. qui etsi aliqua ex parte juvare potuit, rem tamen (ut decebat) minime absolvit. De Guidone pudet dicere, quoniam Aerianorum hæreses recensens, & hanc illis annu- C
merans, cum contra alios eorum errores testimonia adduxisset, hunc solum intactum reliquit, nullum adferens scripturæ aut sanctorum Doctorum testimonium, aut ullum argumentum propter quod se ostenderet illam assertionem de hæresi merito notasse.

Alius est etiam error circa Episcoporum personas exortus, quo docetur nullum peccatorem aut injustum hominem posse esse Episcopum. Hujus erroris auctores fuerunt Vvaldenses dicentes quod presbyterum non dignitas, sed vitæ meritum efficiebat potiorem. Hos imitatus est Joannes Vvicleph. Et quidem si hi dixissent, ut qui malus est & criminosus, ordinandus non esset in Episcopum, id recte admonuissent, quoniam illud sæpe docet Paulus Apostolus. Sed quoniam docent, eum qui semel in peccatum labitur, dignitatem & officium Episcopatus amittere, ita ut hæc duo minime cohærere possint in una persona, ut Episcopus simul & malus sit : in hoc certe male senserunt. Verum quoniam sunt alii qui hoc etiam de quolibet sacerdote docuerunt, alii rursum de qualibet etiam laicali potestate hoc idem senserunt, ideo usque ad alium locum hæc res disputanda differatur, cum videlicet de omnibus simul sub titulo De potestate agemus.

EVANGELIUM.

INter alias Flagellantium hæreses hæc una fuit, qua E
dixerunt post adventum suæ sectæ Evangelium desiisse. Quem errorem non nisi idiotæ homines, quales fuere Flagellantes, docere potuissent : cum sint tam aperta scripturæ sacræ testimonia testantia Evangelium in perpetuum, hoc est in finem sæculi duraturum. Sapiens namque de lege à Deo hominibus data loquens, ait : (*Eccl.* 17.) *Testamentum æternum constituit cum illis, & justitiam & judicia sua ostendit illis.* Vides qualiter vocatur testamentum æternum, & constat quod non loquitur de priori testamento, quia illud revocatum est, ut probat Paulus sæpe, præcipue in epistola ad Hebr. & per Prophetam Baruch Dominus loquens, hoc clarius expressit. *Et statuam illis* (inquit) *testamentum alterum sempiternum, ut sim illis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum.* Et Propheta Regius ait : (*Psalm.* 110.) *Redemptionem misit dominus populo suo : mandavit in æternum testamentum suum.* At non fuit nobis data alia redemptio nisi in adventu filii Dei, qui verbo & opere prædicans, Evangelium nobis in testamentum suum reliquit quod in morte sua confirmatum est : & tunc revocatum prius. Hoc ergo Evangelium quod solum vere dici potest testamentum, quia illud solum confirmatum est, hoc inquam testamentum mandavit nobis in æternum : non ergo cessabit umquam. Et ipsa veritas hoc idem confirmat, (*Luc.* 21.) dicens: B
Amen dico vobis quod non præteribit generatio hæc donec omnia fiant. Quæ verba exponens Theophilactus super Lucam ait : „ Generationem vocat non eos qui tunc aderant, „ sed omnium fidelium generationem. Solet enim scrip- „ tura hoc nominare modo, ut : *Hæc est generatio quærien-* „ *tium dominum.* (*Psalm.* 23.) Quia autem turbationes „ & bella, & alterationes dixit futuras tam elementorum „ quam rerum, ne quis suspicetur, quod forte aliquan- „ do destruendus sit Christianismus, dicit : Non. Non „ enim præteribit hæc Christianorum generatio. Cœlum „ quidem & terra immutabuntur : sermones autem mei „ & Evangelium meum non peribunt, sed manebunt, „ tametsi commoveantur omnia : fides tamen in me non C
„ deficiet. Apparet autem hoc loco, quod Ecclesiam om- „ ni creaturæ præferat. Ecclesia enim ejus, & ver- „ bum ac Evangelium nequaquam peribunt. " Hactenus Theophylactus. Præterea in verbis quibus quotidie vinum in sanguinem Christi transubstantiamus, sic dicitur: *Hic est calix sanguinis mei novi & æterni testamenti, qui pro vobis & pro multis effundetur, &c.* Quæ verba etsi non expresse inveniantur in Evangelio, certo tamen credendum est Ecclesiam illa à Christo recepisse. Verum ut nulla jam pateat rimula ad fugam, audiant Paulum hoc idem dicentem:(*Heb.* 13.) *Deus autem pacis* (inquit) *qui eduxit de mortuis pastorem magnum ovum in sanguine testamenti æterni dominum nostrum Jesum Christum, aptet vos in omni bono, &c.* D
Rursusde quatuor illis animalibus quæ Ezechiel vidit, & Joanni in visione monstrata sunt, dicitur quod ibant & non rebertebantur, cum ambularent. At quod per illa quatuor animalia designati sunt quatuor Evangelistæ, apertius est quam ut dubitari debeat, aut probatione indigeat. Quid est dicere quod semper ibant, nisi quod Evangelia semper manebunt ? Tempore procedente & ipsa etiam procedunt. Quod si Evangelium jam (ut isti Flagellantes mentiuntur) cessasset : non vere diceretur de animalibus quod ibant & non revertebantur. Testamentum siquidem vetus quoniam revocatum est, & jam amplius non obligat, finibit iter suum, nec dicetur de eo quod vadit & non revertitur, quemadmodum de quatuor ani- E
malibus dicitur quod ibant, & non revertebantur. Unde B. Greg. hom. 6. super Ezec. ait : „ Testamentum no- „ vum etiam per testamenti veteris paginas testamentum „ æternum appellarum est, quia intellectus illius num- „ quam mutatur. Bene ergo dicitur quod rotæ euntes „ ibant, & non revertebantur cum ambularent, quia no- „ vum testamentum non rescinditur, dum vetus jam spi- „ ritaliter intelligitur. Post se non redeunt, quia usque „ ad finem mundi immutabilia persistunt. Ambulant er- „ go, sed non revertuntur, quia sic spiritualiter ad cor „ nostrum veniunt, ut eorum præcepta ulterius non mu-

„ ten-

„ tentur. " Hæc Gregor. Accedit ad hæc, quod ii qui sen- A
tiunt evangelium finitum esse, & aliud loco ejus subrogatum testamentum, aut negant Christum mortuum, aut volunt eum iterum crucifigere. Nam si (ut ait Paulus *Hebr.* 9.) *testamentum in morte testatoris confirmatum est:* ergo evangelium jam confirmatum est, aut Christus mortuus non erit. Quod si Christus mortuus est, & testamentum ejus oportet sic esse firmum, ut numquam revocari possit, & si aliud post istud succedet, ut illud etiam fitmetur, oportebit testatoris mortem accedere : quapropter oporteret ut Christus iterum moreretur, ut per ejus mortem illud aliud testamentum confirmaretur. Quis autem hoc fateri audebit ? Certe non alius quam ille qui sibi ipsi iterum crucifigit Filium Dei. Paulus namque ait: (*Roman.* 6.) *Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur: mors illi ultra non dominabitur.* Adversus tam insanam & impiam hæresim piget plura adferre.

Secunda hæresis est, dicens evangelium non fuisse prædicatum ab Apostolis secundum spiritalem intellectum, sed solum secundum litteram. Hujus erroris (ut Guido refert) auctor fuit Abbas Joachim, quem secutus est quidam alius Petrus Joannis. Verum de hoc errore jam supra disputavimus cum de rebus ad Apostolos pertinentibus ageremus.

Tertia hæresis contra evangelii valorem & dignitatem orta est, quæ negat evangelium esse legem, juxta veram & propriam legis rationem. Hoc docet Luther, quem secutus est in hac parte Philip. Melan. & Brentius, C
& reliqui omnes hujus farinæ. Hoc autem ideo docent, ut hac ratione contendant se esse liberos ab obligatione omnium bonorum operum. Nam ideo dicunt evangelium non esse legem, quia asserunt evangelium nihil prorsus præcipere, sed solum manifestare nobis bonum nuntium de Jesu Christo Filio Dei, quod ille solus merito suæ passionis sit expiator peccatorum nostrorum, & redemptor animarum nostrarum. Et (ut magis illorum sententia pateat) verba illorum referam : Luther. in lib. de capt. Babyl. hæc ait : Quicquid fit lege cogente peccatum est, inde in novo testa mento non sunt præcepta urgentia, sed tantum exhortationes & obsecrationes. Et iterum : Evangelium nihil aliud est, quam prædicatio de D
resurrectione Christi, quare hic opera omnino sunt sublata. Hæc Luth. Philippus Melancton in locis communibus hæc ait : Novum testamentum non est aliud, nisi bonorum omnium permissio, citra legem, nullo justitiarum nostrarum respectu : quia bona nobis promittuntur citra conditionem, cum nihil vicissim à nobis exigatur. Hæc. Philip. Melanct. Deinde, doctores missi ad Concilium Tridentinum à duce Vvitembergensi, quorum præcipuus erat Brentius in confessione suæ fidei, quam illic scriptam obtulerunt, in titulo De evangelio, hæc scripserunt : Evangelium non est aliud quam bona & læta annuntiatio de filio Dei domino nostro Jesu Christo, quod ipse solus sit expiator peccatorum nostrorum, & E
redemptor & salvator noster. Hæc Brentius & socii ejus. Ex omnibus verbis istorum hæreticorum quæ hic citavimus, duos potissimum aut tres annotare oportet errores. Primus est qui bonorum operum necessitatem negat, sed de hoc infra disseremus, in titulo De fide, & in titulo De operibus. Secundus error est, quo dicitur nullum esse in lege evangelica præceptum, & de hoc etiam nihil in hoc loco dicemus, sed de illo infra, Deo duce, in titulo De præceptis disputabimus. Tertius error est quo asserunt evangelium Christi non esse dicendum legem, & de hoc est præsens disputatio, ut aperte convincam esse mani- A
festum errorem. Primo quidem illud est apertum testimonium contra hanc assertionem, quod Deus per Esaiam Prophetam ait cap. 42. *Ecce servus meus suscipiam eum, electus meus complacuit sibi in illo anima mea, dedi spiritum meum super eum, judicium Gentibus proferet. Non clamavit nec accipiet personam, nec audietur vox ejus foris. Clamum cassatum non conteret, & lignum fumigans non extinguet, in veritate educet judicium. Non erit tristis, neque turbulentus donec ponat in terra judicium : & legem ejus insulæ expectabunt.* Ex his verbis constat apertissime evangelium appellatum esse legem Christi. Nam verba ista ex Esaia citata intelligenda esse de Christo salvatore nostro, apertissime Matthæus declarat cap. 12. dicens : *Ea omnia quæ de* B
puero electo, in iis verbis Esaiæ dicta sunt, esse impleta in Christo salvatore nostro. De hoc autem puero à Deo electo, quem Matthæus interpretatur esse Christum, dixit Deus per Esaiam quod legem ejus insulæ expectabunt, insulas appellans, omnes animas, quæ à turbulento hujus mundi mari circundatæ sunt. At Christus salvator noster nullam aliam legem præter evangelium dedit. Igitur evangelium juxta Esaiæ vaticinium est lex. Præterea per Hieremiam Prophetam Dominus ait cap. 31. *Ecce dies veniens dicit dominus, & feriam domui Israel, & domui Juda fœdus novum : non secundum pactum quod pepigi cum patribus vestris, in die qua apprehendi manum eorum, ut educerem eos de terra Ægypti, pactum quod irritum fecerunt,* C
& ego dominatus sum eorum, dicit Dominus. Sed erit pactum quod feriam cum domo Israel post dies illos, dicit dominus : Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam. Hæc verba esse intelligenda de novo testamento, quod est evangelium, apertissime declaravit Paulus in epist. ad Hebr. Nam ex illis Hiere. verbis Paulus vult convincere, per adventum evangelii & novi testamenti, esse abrogatum vetus testamentum. Quoniam postquam illa verba Hieremiæ plene citaverat, ex illis argumentum sumens, sic ait : *Dicendo autem novum, veteravit prius : quod autem antiquatur, & senescit, prope interitum est.* In quibus verbis Paulus aperte notat veteris testamenti dissolutionem & mortem. Deinde ex eo- D
dem Hieremiæ vaticino, probat Paulus eminentiam evangelii supra testamentum vetus. Nam postquam dixerat legem Mosaicam esse imperfectam, quia non poterat salvare illius observatores, quod nunc facit evangelium in fide Christi, ad confirmationem hujus evangelicæ gratiæ, adducit prædicta verba Hieremiæ, sic inquiens (*Hæbr.* 10.) *Contestatur autem nos & Spiritus Sanctus.* Postquam enim dixit, hoc autem testamentum, quod testabor ad illos post dies illos, dicit dominus : *Dabo leges meas in cordibus eorum, & in mentibus eorum inscribam eas, & peccatorum & iniquitatum eorum jam non recordabor amplius.* in quibus verbis, multa indicat Paulus quæ habet novum testamentum supra vetus. Primum est quod novum tes- E
tamentum potens est per merita Christi hominum peccata ita delere ut prorsus oblivioni tradantur, quo nequaquam facere poterat testamentum vetus. Deinde, lex vetus data est in tabulis lapideis, propter corda dura eorum & lapidea, quia talibus dabatur lex : novum autem testamentum datum est in cordibus hominum. Nam de illa Prophera Hieremias loquutus fuit, dicens : *Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam* : & de eodem testamento novo verba illa interpretatur Paulus in loco prædicto. Unde Haymo prædicta Paulli verba quæ habentur ad Heb. 8. interpretans, hæc ait:

„ Mag-